22101533667

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b2485444x

Klassische
Philologie

DE HIPPOCRATIS EPIDEMIARUM LIBRI SEXTI COMMENTATORIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
REGIMONTANO

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUALTARIUS BRAEUTIGAM
SENSBURGIENSIS

REGIMONTI
EX OFFICINA HARTUNGIANA
MCMVIII

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt A. Ludwich et L. Jeep. Examen rigorosum habitum est die XX. mens. Dec. a. MCMVII.

ARTHURO LUDWICH

HERMANNO SCHOENE

S.

BJ (2)

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

I.

In iis operibus corporis Hippocratei, quae veteres plurime commentati sunt, Epidemiarum liber sextus numerandus est. Quamquam enim nobis tres tantummodo commentarii[1]) servati sunt, neque integri hi, Galenus satis multos artis medicae doctores enumerat illum librum Hippocratis minime continuum et difficillimum intellectu interpretatos. Constat enim Epidemiarum librum sextum non genuinam neque ratione et consilio compositam formam habere, sed promiscue fragmenta descriptionis morborum epidemiorum et singularium continere et ratione librorum primi et tertii a medicis Cois, fortasse ab Hippocratis discipulis compositum esse. Descriptioni morborum saepius aphorismi et praecepta medica generalia insparsa sunt, ita ut farraginem difficillimam intellectu habeamus non '*πρὸς ἔκδοσιν*' scriptam sed '*ὑπομνήματα*', quae a nullo nisi a medicis legerentur[2]). Quae cum ita sint, in Epidemiarum libros, ut minime continuos vel ab omni parte perspicuos, cum omnibus fere locis explica-

1) 1. commentarius Galeni: Medicor. Graecor. opera eur. Kuehn. t. XVII A p. 793 — XVII B 344. Galeni Librorum Pars V. ed. Aldus, Ven. 1525 f. 211 r. — 252 v. Galeni Librorum Pars V ed. Basil. 1538 p. 442—526. — 2. comment. Palladii iatrosophistae: Apollonii Citiensis, Stephani, Palladii, Theophili, Meletii, Damascii, Joannis scholia in Hippocratem et Galenum ed. Fr. Reinh. Dietz, Regimont. Pruss. 1834 vol. II p. 1 sqq. — 3. comment. Johannis Alexandrini medici in Articella Hippocratis diem tulit. Venetiis 1483. 1523 etc. ego bybliothecae Regimontanae exemplar Ven. 1483 impressum ad manus habui; fol. 120 r. sqq.

2) cf. C. Fredrich, Hippocratische Untersuchungen p. 10 sq. (Philolog. Unters. herausg. v. Kiessling u. v. Wilamowitz-Moellendorff t. XV).

tiones desiderarentur, iam antiquissimis temporibus medici uberrimos confecerunt commentarios, qui tamen perpaucis fragmentis exceptis perierunt. De commentatoribus Hippocratis, qui ante Pergamenum floruerunt, alio loco agendum erit; hic ego, qui Epidemiarum libri sexti interpretes tractandos mihi proposuerim, eorum tantummodo, qui hunc librum explicaverunt, praecipue vero, quorum commentarii servati sunt, rationem habebo.

1. Iam in prooemio Epidemiarum libri sexti commentarii Galenus quattuor vetustiores interpretes laudat[1]): *τά τε ὑπομνήματα τῶν πρώτων ἐξηγησαμένων τὸ βιβλίον, ἐν οἷς καὶ Ζεῦξίς ἐστιν ὁ Ταραντῖνος καὶ ὁ Ἐρυθραῖος Ἡρακλείδης καὶ πρὸ αὐτῶν Βακχεῖός τε καὶ Γλαυκίας.* Horum et omnium Hippocratis commentatorum antiquissimus est Bacchius Tanagraeus, discipulus Herophili: eum Epidemiarum librum tertium edidisse Galenus[2]) et in Hippocratem tres libros '*λέξεις*' confecisse Erotianus[3]) docent: sed commentarios quoque eum in Hippocratem scripsisse verisimile est, de tribus saltem Pergameni testimonia extant, dico commentarium Epidemiarum libri sexti, qui semel a Galeno commemoratur,[4]) et Aphorismorum[5]) et libri *κατ' ἰητρεῖον*[6]) inscripti. Sed interpretationes Bacchii in commentario

1) Gal. t. XVII A p. 793 sq. K.

2) XVII A 619 K. utrum Bacchius alia quoque Hippocratis opera vel alios Epidemiarum libros ediderit necne, haud facile discreveris; eum tertium librum solum edidisse verisimile non est.

3) Erotian. ed. Klein p. 31, 10. Glossarum Bacchii, quae apud Erotianum extant, duae Epidemiarum librum sextum attinent (p. 22, 17. 39, 13), quarum alteram: '*ἑλινύειν*' *(Βακχεῖος μὲν ἐν ᾧ φησὶν ἀργεῖν, σχολάζειν λέγων ὅτι Ἰλλεῖοι μὲν ἑλινύειν τὸ σχολάζειν λέγουσι, Θήμβριοι δὲ τὸ ἀργεῖν)* Bacchius in primo *Λέξεων* libro, alteram: '*ἀραιά*' *(Βακχεῖος μὲν ἤκουσε τὰ λεπτά)* fortasse in Epidemiarum libri sexti commentario exposuit.

4) Gal. XVII A 794.

5) Gal. XVIII A 187. cf. Littré l. l. I p. 89. Ilberg, Mus. Rhen. t. 45 p. 112. Hippocratis et aliorum medicorum veterum reliquiae ed. Franziscus Zacharias Ermerins, Traiecti ad Rhen. 1859 t. I p. XLVI. Wellmann PW II 2790.

6) Gal. XVIII B 631.

libri sexti Pergamenus non affert; t. XVII B p. 145 tantummodo liber Tanagraei, *Ἀπομνημονεύματα Ἡροφίλου τε καὶ τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας*[1]) *αὐτοῦ* ex commentario Zeuxidis memoratur, quo ex loco Galenum hunc Baechii librum non ipsum legisse concludendum est; neque commentarium Baechii in Epidemiarum sextum Galenum vidisse puto, eum nusquam ullam eius sententiam commemoraverit.

Eodem saeculo, quo Baechius, sed compluribus annis post Zeuxis quidam empiricus Tarentinus omnia Hippocratis scripta explicavit, quem minus diligentem in interpretando fuisse Pergamenus medicus in tertio commentario tertii Epidemiarum libri queritur, cuiusque commentarios Galeni temporibus non amplius magni aestimatos iam obsolescere ipse annotat. In libri sexti commentario Pergamenus eius identidem mentionem facit.[2]) Primam empirici Tarentini interpretationem Galenus p. 826 affert (Ald. V 213 v. Basil. V 446): '*νήπια λέγει ὁ Ἱπποκράτης τὰ μέχρι ἥβης. ταῦτα δὲ κατὰ τὸν τοῦ ἡβάσκειν χρόνον ἐκλάμπειν,*[3]) *ἐμφατικῶς ἅμα τῇ μεταφορᾷ χρησάμενος· καὶ γὰρ σαρκοῦται τὰ τηκαῦτα μᾶλλον καὶ εὐερνέστερα γίνεται καὶ τῷ χρώματι καὶ τῷ εἴδει χαριέστερα καὶ τῇ δυνάμει καὶ* ⟨*τῷ*⟩ (ins. Schoene) *λογισμῷ βελτίονα. ἀθρόως δὲ γίνεται τοιαῦτα, ὥστε καὶ τῶν εὐειδῶν φύσει, τότε μᾶλλον ἐκλάμπει τὸ κάλλος.*' Hanc Zeuxidis explicationem amplexus Littreus illum Hippocratis aphorismum sic vertit (V 269): La révolution qui s'opère chez les enfants à la puberté, amène aussi parfois

1) edd. *οἰκείας*. corr. Susemihl, Gesch. d. alex. Litt. I 785 a. 56. cf. Erotian. p. 31,9 Klein: *Καλλίμαχος ὁ ἀπὸ τῆς Ἡροφίλου οἰκίας*. Gal. XI 197: *ἵνα γὰρ ἰάσας τοὺς ἄλλους Στράτωνος μνημονεύσω* ⟨*τοῦ?*⟩ *διὰ παντὸς μὲν Ἐρασιστράτῳ συγγενομένου, γράψαντος δ' ἐπὶ τῆς οἰκίας αὐτοῦ καὶ διὰ τοῦτο λεγομένου δεδουλευκέναι τἀνδρί, 'τά τ' ἄλλα', φησὶν ἐκεῖνος, 'Ἐρασίστρατον ἐπαινεῖσθαι δίκαιόν ἐστι καὶ ὅτι χωρὶς φλεβοτομίας ἐθεράπευεν.*' Hoc ex loco Hermannus Schoene colligit nonnumquam servos medicorum administros in aedibus eorum habitantes ipsos scripta emisisse. '*Ὁ ἀπὸ τῆς οἰκίας*' terminum technicum fuisse probabile est. cf. Susemihl l. l. p. 786.

2) XVII A 793. 826 sqq. 992. XVII B 15. 145. 165- 221 339.

3) scil. *λέγει ὁ Ἱππ.* corr. H. Schoene. edd. *ἐκλάμπει.*

d'autres révolutions.[1]) Ceteri autem vetustiores commentatores Hippocratem hic de epilepsia agere pubertatis aetate ultro sanata consentiunt, quos Galenus, quamquam ei Zeuxidis interpretatio haud inepta esse videtur, ipse quoque '*ἐπιλήψεις*' coniectura scripturae genuinae '*ἐκλάμψιες*' praelata sequitur. Posterioris aetatis interpretes, Palladius[2]) et Johannes Alexandrinus[3]) quoque de hoc loco in dubio sunt neque, utra interpretatio recta sit, diiudicare audent. Recentiores interpretes Ermerins[4]) et Fuchsius[5]) '*ἔκλαμψις*' vocem idem fere valere arbitrati atque '*ἐπίληψις*' — sicut nostrae aetatis medici quandam spasmi speciem 'Eklampsie' nominant — Galeno assentiuntur. Horum omnium interpretum explicationi ego eum Littreo Zeuxidis interpretationem praefero, quia *ἔκλαμψις* vox non spasmum, sed subitas pubertatis transmutationes significat, neque ullus antiquus commentator *ἔκλαμψιν* esse spasmum vult; praeterea ex Hippocratis ipsius verbis insequentibus *μεταβολὰς ἴσχουσι καὶ ἄλλας* apparet *ἔκλαμψιν* quoque esse transmutationem. Zeuxidi autem laudi vertendum est, quod omnium veterum interpretum solus hunc locum recte perspexit.

Deinde Pergamenus Zeuxidis de aphorismo: *Σπλὴν σκληρὸς οὐ τὰ ἄνω, κάτω στρογγύλος, πλατὺς, μακρὸς, λεπτός* sententiam affert,[6]) reprehendi ab eo Glauciam male ea verba interpretatum et quod dictis negationes addiderit vitio Glauciae verti; Zeuxidem autem Galenus laudat, quod contextum, quamquam ille locus ipsi ambiguus visus sit, ita servaverit, ut nos legimus. Quo ex loco Pergamenum Glauciae commentarium iam non ipsum tenuisse

1) *Αἱ τῶν νηπίων ἐκλάμψιες ἅμα ἤβῃ ἐστιν οἵσι μεταβολὰς ἴσχουσι καὶ ἄλλας.*

2) Apollonii Citiensis etc. scholia in Hippocr. et Galen. ed. Dietz vol. II p. 12.

3) Articell. Hipp. f. 121 r. (I 4).

4) Ermerins l. l. p. 558.

5) Hippocrates' sämmtliche Werke ins Deutsche übersetzt und ausführlich commentiert von R. Fuchs t. II (München 1897) p. 254.

6) Gal. XVII A 992. Littré t. V p. 290.

apparet, eum de Glaueiae sententia Zeuxidis testimonium afferat, neque alio loco ullam illius interpretationem eitet.

Tunc Galenus lemma: *Ὁμοίως ὅλον συμπίπτει*[1]) explicans Zeuxidi vitio vertit, quod illas voces, quas ipse quoque sicut ceteri interpretes in textum receperit, non disertis verbis explicaverit.

Porro Galenus t. XVII B p. 145 ex Zeuxidis commentario fabulam quandam affert, quam ille ex Baechii libro *Ἀπομνημονεύματα Ἡροφίλου τε καὶ τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας* (v. p. 7) *αὐτοῦ* inscripto desumpserat, Callianaetem fuisse quendam medicum Herophileum, qui aegroto euidam exclamanti '*τεθήξομαι*' versum: '*Εἰ μή σε Λητὼ καλλίπαις ἐγείνατο*'[2]) sueclamaverit et alii aegrotanti illud Homeri dixerit:[3]) *Κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων.* Quam fabulam posteriores quoque commentatores Palladius[4]) et Johannes Alexandrinus[5]) ex Galeno rereeeperunt.

Tertiam eamque miram empiriei Tarentini interpretationem Pergamenus p. 165 sq. lemma *Ὕδωρ ἀφεψηθὲν τὸ μὲν, ὡς δέχηται τὸν ἀέρα, τὸ δὲ μὴ ἔμπλεον εἶναι καὶ ἐπίθεμα ἔχειν* interpretatus verbotenus indueit:[6]) '*βούλεταί,*' *φησιν,* '*ὁ Ἱπποκράτης μὴ ἐμπλέειν τῇ γαστρὶ τὸ ὕδωρ.*' *ὀξύνει δὲ δηλονότι τὴν δευτέραν συλλαβὴν τοῦ ΕΜΠΛΕΟΝ ὀνόματος, οὐχ ὥσπερ οἱ ἄλλοι τὴν πρώτην, ἀκούεσθαι βουλόμενος*[7]) *οὐ τὸ πλῆρες ἀγγεῖον ἐξ αὐτῆς,*[8]) *ὥσπερ ἐκείνοις ἔδοξεν, ἀλλὰ τὸ κατὰ τὴν κοιλίην ἐμπλέον, ὅπερ ἐστὶ μετέωρον.* Et iure quidem Pergamenus hanc absurdam interpretationem miratur, neque ego Zeuxidis sententiam satis perspicere possum, nam quo tandem modo Hippocratis verba *τὸ δὲ μὴ ἔμπλεον εἶναι*

1) Littré V 292. Ermerins I 574. Gal. XVII B 15.

2) cf. Nauck, Tragic. Graec. fragm.[2] ad. 178 p. 876.

3) *Ψ* 107.

4) p. 112, ubi hic versus corruptus est in: *κτανθῆναι καὶ Πάτροκλος ὁ Περσεὺς πολλῷ ἐκείνου ἀμείνων.*

5) Artic. Hipp. fol. 133 v.

6) ed. Basil. (1538) t. V p. 498. Aldin. t. V f. 239 v.

7) scil. *Ζεῦξις.* corr. H. Schoene; edd. *βουλόμενοι.*

8) *αὐτοῖς* ed. Basil. Ald.

ventrem aqua decocta haud expletum significare possunt! Galenum autem et vetustiores interpretes hoc lemma recte explanasse censeo, quos recentiores interpretes secuti sunt.

Tunc Zeuxis nobis p. 221 occurrit a Pergameno laudatus, quod verba Coi obscura *τὰ ζωτικὰ ἐναντία πρὸς ὑγίειαν*[1]) deleverit; *πρὸς ὑγίειαν* additamentum codd. C et H et Palladii[2]) lemmate tantummodo traditum ab omnibus recentioribus editoribus recte omittitur, sed cetera quoque verba, quae Palladius secundum Zeuxidem omisit,[3]) speciem interpolationis prae se ferre Ermerins (p. 588) recte annotavit. Denique Zeuxis a Galeno p. 339 laudatur, ubi contextus apud Kuelmium lacuna interruptus est, quam ex editione Basiliensi[4]) aut Aldina supplere possumus, legendum enim est: *ἡ δὲ ὀνυχογραφηθεῖσα ῥίς, εἶτα μὴ μεθεῖσα τοῦ αἵματος — οὕτω γὰρ ἔγραψε Ζεῦξις· 'ῥὶς ὀνυχογραφηθεῖσα οὐκ ἀφῆκεν αἷμα' — χαλεπώτατον σημεῖον· εἰ δ' εἴη γεγραμμένον, ὥσπερ οὖν ἐν τοῖς πλείστοις γέγραπται, 'ῥὶς ὀνυχογραφηθεῖσα οὐχ ἡμορρόησεν,' ὀλέθριον μὲν καὶ οὕτως, ἧττον δὲ τοῦ μηδ' ὅλως αἷμα μεθεῖναι.* Audimus igitur Zeuxidem Hippocratis verba[5]) *ῥὶς ὀνυχογραφηθεῖσα οὐχ ἡμορρόησεν* in *ῥὶς ὀνυχογραφηθεῖσα οὐκ ἀφῆκεν αἷμα* mutavisse, ut nihil sanguinis ex naribus profluxisse intellegeretur, quae lectio idem fere valet quod genuina.

Alius medicus disciplinam empiricam ipse quoque secutus, explanatorum Hippocratis clarissimus, totam collectionem Hippocrateam interpretatus Heraclides Tarentinus,[6]) quem saeculo secundo exeunte floruisse verisimile est, in Galeni commentario libri sexti bis una cum Glaucia, alio medico empirico memoratur. Atque primum quidem t. XVII A p. 794, ubi Pergamenus eos inter alios inter-

1) L V 312. E I 587. F II 272.

2) Dietz II p. 126.

3) nisi una cum scholio perierunt.

4) ed. Basil. (1538) t. V p. 523 ed. Aldin. t. V f. 252 v.

5) L V 324. E I 595.

6) cf. Wellmann, Herm. t. 23 p. 557. Littré I 90. Ermerins I p. XLVI.

pretes nuncupat; deinde t. XVII B p. 94 Galenus lemma (VI 3, 16) *πᾶς λεπτυσμὸς χαλᾷ τὸ δέρμα . . .*[1]) explicans narrat Glauciam[2]) et Heraclidem, sectae empiricae asseclas, ex eo lemmate conclusisse Hippocratem cum empiricis consentientem haudquaquam verisimilibus dogmaticorum conclusionibus, sed *μόνῳ τῷ διὰ ἐμπειρίας φαινομένῳ* fidem habendam esse putavisse. Ceterum, quia Pergamenus nullam Heraclidis interpretationem affert, Galenum eius commentarium in promptu habuisse verisimile mihi non videtur, cum enim alibi summis laudibus diligentem et fidum medicum extulerit, Galenum hic quoque locis difficilibus eius interpretationes inducturum fuisse, si commentarium empirici legisset, censeo.

Ab Heraclide Tarentino distinguendus est Heraclides Erythraeus, qui saeculo a. Chr. n. primo exeunte floruit Epidemiarum librum tertium et sextum commentatus, Chrysermi[3]) discipulus, cuius Pergamenus unam interpretationem t. XVII B p. 288 aphorismum *τὰς ἐπαυξέας νούσους μίξις* explicans affert, adversus omnes interpretes Erythraeum medicum solum *μίξις* vocem concubitum cum muliere significare negavisse, sed quomodo ille eam interpretatus sit. Pergamenus nos celavit. Recentiores quoque interpretes iure Coum hic de coitu cogitasse consentiunt.

Una cum Heraclide Tarentino alius empiricus eiusdem civitatis a Galeno memoratur saeculo fere ante interpretatus, Glaucias, qui praeter onomasticum Hippocrateum[4]) etiam commentarios in omnia Coi scripta composuit.[5]) In

1) Littré V 300. cf. Ilberg l. l.

2) Glauciam hoc loco Johannes (III 27. Artic. f. 131 v.) secundum Galenum commemorat: Clauceas (i. e. Glaucias) vero quidam contemporaneus hipp. et nomine quidem hippocraticus re vero contrarius hip. dicebat enim iste hip. esse empiricum et experimento uti sicut dicit et hic facit.

3) cf. Gal. XVII A 794. B 288. Wellmann, Herm. t. XXIII p. 565. Littré I 92.

4) Erotian. ed. Klein. p. XXIX sq. Gal. XVI 196.

5) Fuchs, Geschichte der Heilkunde bei den Griechen (Handb. d. Gesch. d. Medizin v. Neuburger u. Pagel, Jenae 1902 t. I) p. 310.

commentariis a Galeno tribus locis memoratur, quos iam supra p. 7. 8. sqq. tractavi[1]) quorumque ex uno[2]) conclusi Pergamenum empirici medici commentarium iam non tenuisse.

Nunc Pergameni ipsius aetati appropinquamus; saeculo primo post Chr. n. exeunte et altero ineunte[3]) Quintus empiricorum sectae addictus floruit, quem Galenus inter exegetas Coi degentes memorat et inter ipsius aetatis praeclaros medicos ponit, neque tamen Quintus ipse scripta in vulgus emisit, atque Pergamenus eum in eis viris illustribus enumerat, qui nihil scripserint. Lycus Macedo enim Quinti discipulus interpretationes magistri litteris mandasse et edidisse dicitur, inter quas et sexti Epidemiarum libri commentarium fuisse puto, nam Galenus eius unius lemmatis interpretationem, qua cum illo dissentit, affert;[4]) est ille locus sectionis quintae: *Ἐπισπασμὸς πνεύμων*[5]) . . . . ., quem Galenus ab usu sermonis Graeci discedere notat. Eum locum ipse interpretatus Quinti sententiam inducit: *ὁ δὲ Κόϊντος οὐδ' ὅτι ξηρὸς καὶ θερμός ἐστιν ὁ πνεύμων, διὰ τοῦτο ἔφη γίνεσθαι τὴν ταχεῖάν τε καὶ πυκνὴν ἀναπνοήν, ἀλλὰ διὰ τὴν*[6]) *τοιαύτην ξηραίνεσθαί τε καὶ θερμαίνεσθαι τὸν πνεύμονα, τὸν γὰρ ἐπισπασμὸν οὐχ ἁπλῶς ἀναπνοὴν ἅπασαν, ἀλλὰ μόνην τὴν ταχεῖάν τε καὶ πυκνὴν ἐβούλετο δηλοῦν.* Videmus igitur Quintum 'ἐπισπασμός' vocem rectius perspexisse quam Galenum, qui simpliciter aspirationem aëris intellegi vult.[7]) Posteriores vero interpretes Palladius[8]) et Johannes[9]) Galeni et Quinti interpretationes coniunxerunt. Ceterum de hoc loco eius-

1) XVII A 794. 992. XVII B p. 94.
2) XVII A 992.
3) cf. Littré I p. 97 sqq. 106.
4) XVII B 302 K. ed. Basil. p. 518. Aldin. f. 149 v.
5) Littré t. V p. 320. Ermerins I 593.
6) τοῦ Kuehn. τὴν Bas. Ald.
7) cf. Fuchs. Hippocr. sämmtl. Werke II p. 275.
8) Dietz II p. 148.
9) Johann. V 34 (fol. 139 r).

que de interpretatione Fuchsii sententiam sequor.[1]) Alio loco commentarii Pergamenus eundem Quintum memorat[2]) vehementer vinum olentem quondam ad virum aliquem principem civitatis aegrotantem venisse, quem magna febri cum capitis dolore oppressum Quintum, ut longius recederet, rogavisse, eum odorem vini moleste ferret. Modeste roganti Quintum stolide respondisse et imperavisse, ut vini odorem ferret, nam se aegroti febrem redolentis odorem ferre, aliud autem esse febrem redolere, aliud vinum. Quam narratiunculam Palladius et Johannes Alexandrinus ex Galeni commentario receperunt[3]); in utriusque autem contextu nomen Quinti corruptum est, apud Palladium pro *Κόϊντος* legimus *Ἄνιτος*, apud Johannem *criconitus* extat.

Discipulus Quinti fuit Lycus Macedo empiricus, qui praeter *ἐξηγητικὰ τῶν Ἱπποκράτους ἀφορισμῶν ὑπομνήματα* et librum *περὶ μυῶν* in Epidemias et librum De humoribus inscriptum commentarios composuit;[4]) identidem a Pergameno in commentario libri sexti citatur.[5]) Primum in explicando lemmate: *αἱ διαδέξιες τῶν ὑποχονδρίων, ἐξ οἵων ἐς οἷα*[6]) . . . . . Galenus annotat Lycum hoc loco *ἐξ οἵων οἷα ποιοῦσιν* coniecisse; in omnibus enim codicibus *αἱ διαδέξιες τῶν ὑποχονδρίων ἐξ οἵων οἷα ἄλλοισι* corrupte traditur, qua de causa iam antiqui editores contextum mutaverunt, et Lycus quoque ad coniecturam descendit *ἄλλοισι* in *ποιοῦσι* transmutans; nimirum subaudiri voluit: *σκεπτέον*. Alios interpretes, in quibus Rufum, *ἐξ οἵων ἐς οἷα καὶ ἄλλα* scripsisse Pergamenus testatur, quam lectionem ipse quoque exhibet et recentiores editores iure receperunt; notandum autem est et Lycum et Dioscuridem et Sabinum a nostrorum codicum scriptura profectos contex-

1) Fuchs l. c.
2) XVII B 151.
3) Pall. p. 113. Dietz. Joh. IV 8 (Artic. Hipp. f. 133 v.).
4) Littré I 107. Ermerins I, XLVII.
5) XVII A 957. 966, XVII B 179. 203. 204.
6) Littré V 284. Ermerins I 568. Fuchs, Hippocr. II 260.

tum restituere conatos esse: antiquissimis igitur iam temporibus haec corruptela contextui subrepserat.

Altero quoque loco, ut est omnino in Macedonem irato animo, Lycum non memorat nisi eum carpturus,[1]) aphorismum *οἷον ὀμμάτων ῥοωδέων, ἢν ἄλλως φαίνηται συμφέρειν ἀντισπᾶν εἰς φάρυγγα*[2]) Lycum sermone longius producto pertinere ad rhyada docere, ab oculis in palatum commeatum esse, per quem excrementa eorum abducantur; quem commeatum secundum maiorem angulum pertinere; morbum autem oculorum, qui rhyas vocetur, tribus modis, aut commeatu gramiis clauso aut nimio excremento in oculo conglomerato, foramine omnia recipere nequeunte, aut cicatrice in angulo orta aut post acanthidum sectionem ulcerato loco excitari; tunc sanandi causa nobis ad fauces materiam revellendam esse. Hoc loco Lycum Hippocratis verba subtiliter interpretatum esse videmus, itaque Johannes Lyci explicationem sine auctoris nomine affert.[3])

Proximus locus t. XVII B p. 179 in commentario aphorismi diverse explicati *ὕπνος ἑδραῖος ὀρθῷ νυσταγμός*[4]) extat, ubi Pergamenus sicut p. 203, quem locum statim tractabo, nos ad Hippocratis Aphorismorum sectionis primae decimum quartum relegat[5]), quem Lycus, quod diversos corporis humani calores non internoverit, impugnet. Insequenti quoque loco Lycus taxatur,[6]) ubi Galenus Macedonem vel alium quempiam Herophili vel Erasistrati sectatorem differentes corporis humani calores internovisse iterum negat, qua de causa multa Hippocratis dicta perperam interpretatos esse.[5])

Quamquam Galenus, simulatque memorat eum vituperat, Macedonem Hippocratis doctrinam non intellexisse,[7])

1) XVII A 966.
2) Littré V 284 sq. Ermerins I 569.
3) Joh. II 28. cf. Pseudopallad. p. 62 (Dietz II).
4) Littré V 310. Ermerins I 585. Fuchs II 270.
5) cf. Gal. XVII B 414 sq.
6) XVII B 203.
7) velut XIX 57 sq. *Λύκος δὲ ἐνίοτε καὶ προσεγκαλεῖ τῷ Ἱπποκράτει καί φησι ψεύδεσθαι τὸν ἄνδρα μὴ γινώσκων αὐτοῦ τὰ δόγματα.* cf. XVI 17. 196.

tamen Lycus medicus satis eruditus fuisse videtur, qui praecipue studiis anatomicis se dederit, quod cum ex aliis tum ex illo loco, quo eum Hippocratis aphorismum impugnavisse accepimus, concludere possumus; neque Galenum eum neglexisse sed scripta eius diligenter legisse et magni aestimavisse verisimile est, cum ipse ex eius libris anatomicis summarium confecerit;[1]) itaque Pergamenum non pauca, quae ei placebant, ex Lyci commentario transscripsisse conicere licet.

Lyci duo aequales Hippocratem interpretati saepius et plerumque coniunctim a Pergameno in nostro commentario commemorantur: Rufus Ephesius et Sabinus, quorum alterum, dico Rufum, permulta opera confecisse Suidas narrat:[2]) semel atque iterum a Pergameno laudatur atque ab eo in iis viris enumeratur, qui non sine fructu Hippocratis scriptis operam dederint,[3]) praecipue in libro, quem inscripsit *περὶ τῆς τάξεως τῶν ἰδίων βιβλίων* Galenus Rufum et Sabinum laudat, quod melius quam ceteri interpretes Hippocratis scripta perspexerint.[4]) Imprimis Pergamenus Rufo, quod semper veteres scripturas servare conatus sit,[5]) laudi vertit. Rufum omnia opera Hippocratea interpretatum esse verisimile, Epidemias, Aphorismos, Prorrheticum I, librum De humoribus eum explicavisse ex Galeni locis certum est. Haud raro a Pergameno in commentario nobis tractando citatur.[6]) Atque primum quidem Galenus aggressus ad primae sectionis lemma *πρὸ ῥίγεος αἱ ἐπισχέσιες τῶν οὔρων, ἢν ἐκ χρηστῶν ἴωσι*[7]) . . . . . miratur cum alios interpretes tum Sabinum et Rufum, utrumque diligentissime in Hippocratis scriptis versatum, nondum rigori urinarum retentionem antecedere animad-

1) cf. Gal. XIX 25.
2) cf. Fuchs, Handb. I 368 sq.
3) cf. Littré I 101. 104 sqq. Gal. XVII A 849.
4) XIX 57 sq.
5) cf. Littré I p. 104.
6) XVII A 849. 856 sq. 993. 1006. XVII B 29. 30. 93 sq. 113.
7) Littré V 270. Ermerins I 560. Fuchs II 254.

vertisse. Deinde Pergamenus loco iam supra p. 13 tractato, qui p. 956 extat, Rufum laudat, quod genuinam lectionem: *ἐξ οἵων εἰς οἷα καὶ ἄλλαι*[1]) retinuerit.

Videmus igitur et hic et insequenti loco (p. 993) Pergamenum locis multum disceptatis auctoritatem nobilium auctorum adhibere; accedit enim p. 993 ad lemma mutilatum: *ἧσσον τοῖς ἀπὸ κεφαλῆς κορυζώδεσι . . .*[2]), quod integrum sectionis tertiae initio extare primus Littreus vidit,[3]) cum autem veteres commentatores id effugerit, ad lemma antecedens haec verba, per se sensu cassa, pertinere opinati capitis gravedine laborantibus lienem morbo corripi negant.[4])

Proximus locus p. 1006 extat, ubi Rufum in suo commentario Diogenem Apolloniatam memoravisse legimus, qui in libro *περὶ φύσεως* inscripto[5]) solus marem citius quam feminam in utero constitui et moveri negavisset, quem librum se nusquam vidisse Galenus confitetur. Rufum igitur more Pergameni Hippocratis dicta iam allatis aliorum scriptorum, qui ad easdem res pertinent, locis uberrime explanasse videmus.

Nunc accedamus ad lemma, quod viros doctos antiquos et recentiores multum exercuit, cuiusque contextum Rufus mutavit, legitur enim vulgo in codicibus:[6]) *οἵσιν ὅταν ἀφροδισιάζωσι φυσᾶται ἡ γαστήρ, ὡς λαμναγόρᾳ· οἵσι δ' ἐν τούτῳ ψόφος*, quae verba integra non esse quis est, quin intellegat![7]) Rufus Hippocratem hic de melan-

1) Littré V 284. Ermerins I 568. Fuchs II 260.

2) L V 290. E I 572.

3) cf. Littré V 294.

4) cf. Johann. Alexandr. II, 26. — Palladii huius sectionis commentarius Graecus desideratur. cf. Dietz II p. 39 sqq. Crassi autem partis deperditae versionem Latinam a Dietzio in scholiorum editionem pro contextu Graeco receptam ex Johannis Alexandrini commentario suppositam esse infra demonstrabo.

5) cf. Mullach Fragmenta philosophor. Graecor. I 252. Diels, Fragm. d. Vorsokr.[2] p. 339 sq.

6) V 294 Littré. I 575 Ermerins. II 264 Fuchs.

7) cf. Ilberg, Mus. Rhen. t. 45 p. 120. 130.

cholicis loqui arbitratus, quibus timor proprius sit, pro *ψόφος*: *φόβος* scribit.[1]) Quam Rufi coniecturam falsam esse alio eiusdem sectionis loco[2]) efficitur, quo eadem docet, viris Venerem exercentibus strepitum fieri. Palladio autem et Johanni Alexandrino Rufi interpretatio ita placuit, ut eam pro recta receperint.[3]) Tunc Galenus Rufum p. 93, quod adversus Sabinum veterem scripturam et vetustiorum commentatorum interpretationem retinuerit, laudat; Sabini autem, qui *μαζοὺς* in *μακροὺς* mutabat, absurdam sententiam nemo aut veterum aut recentiorum interpretum probavit.

Postremum Pergamenus Rufum iterum cum Sabino p. 113 citat, Rufum taxans, Sabinum laudans; in lemmatis *Ἄλλου τόπου τόποι δεξάμενοι ἢ πόνῳ ἢ βάρει ἢ ἄλλῳ τινὶ ῥύονται ἢ ἄλλοισιν αἱ κοινωνίαι*[4]) commentario enim legimus nonnullos interpretes, in quibus Rufum, pro *ἄλλοισιν αἱ κοινωνίαι* eonieeisse: *ἀλλοῖαι κοινωνίαι* eaque verba cum insequenti aphorismo coniunxisse arbitratos Hippocratem ad aliam speciem eommunieationis, seilicet ad eommunieationem secundum cognationem humorum transisse atque Rufum sanguinem cum pure eognatum esse contendisse. Rufus autem illum libri, qui inscribitur *περὶ χυμῶν*, aphorismum[5]) neglexit ad verbum fere huic respondentem, quo eum perperam interpretatum, Sabini autem et Galeni explicationes et scripturas probandas esse efficitur.

Etiam maiore auctoritate quam Rufus apud Pergamenum Sabinus usus esse videtur, quia omnium interpretum longe saepissime memoratur.[6]) Pergamenum eum approbare et laudare supra ostendi, sed etiam vulgo Sabinus commentator aptissimus habitus esse videtur, nam Gellius

1) Gal. XVII B 30.

2) Littré V 300. Ermerins I 578.

3) Dietz II p. 80. Johann. III 7.

4) Littré V 304. cf. L V 500. Ermerins I 581. Fuchs II 268.

5) Littré V 500.

6) XVII A p. 849. 877. 884. 930. 956. 968. 978. 993, XVII B 15. 26. 27. 28. 30. 67. 93. 107. 113 275 sq. 288. 323.

quoque eum Hippocratem commodissime commentatum esse scribit eiusque interpretationem Hippocratis libri *περὶ τροφῆς* inscripti unius loci affert,[1]) quem Sabini commentarium Galenus nusquam commemoravit; ab eo tantummodo de commentariis Epidemiarum, Aphorismorum, De humoribus, De natura hominis operum certiores facti sumus,[2]) sed ex Pergameni et Gellii iudiciis eum multa quoque alia Coi scripta explicavisse intellegi potest. Galenus Rufum et Sabinum recentiores interpretes appellat, et ex eo quod Pergamenus tam saepe cum Sabino transigit suamque auctoritatem adversus eum destrictis eius falsis interpretationibus augere conatur, Sabinum recentissimum et clarissimum omnium, qui ante Galenum fuerint, interpretum fuisse coniciendum est. Palladius quoque magna reverentia de eo loquitur.[3]) Sed accedamus ad singulos locos, quorum nonnullos iam tractatos[4]) nunc omittam; restat primus t. XVII A p. 877 in longa febrium aphorismi[5]) interpretatione extans, cuius in verba *οἱ δὲ πεμφιγώδεες ἰδεῖν δεινοί* explicanda veteres commentatores magnam operam contulerunt, neque Galenus ipse interpretationem satis commode persequi potest, cum in dubio sit, utrum Cous febrem pemphigodea spirituosam an exanthematicam dixerit; Sabinum commentatorum solum cum paucis codicibus *οἱ δὲ πεμφιγώδεες ἰδεῖν δεινοί* praebere, plurimos autem codices *δεινοὶ* voce omissa *οἱ δὲ πεμφιγώδεες ἰδεῖν* tantummodo exhibere. Nostrorum codicum a doctis servata lectio cum Sabini congruit, sed minime viri docti recentiores cum Sabini interpretatione consentiunt,[6]) qui '*πεμφιγώδεες*' febres cum delirio accedentes intellegit et illa verba *ἰδεῖν δεινοί* ad aegrotos delirantes et oculos detorquentes pertinere putat, nam verba *ἰδεῖν δεινοὶ*

1) Noct. Att. III 16, 7.
2) cf. Littré I 103.
3) Dietz II p. 80.
4) supra p. 15 sqq. Gal. XVII A 849. 956. 993. XVII B 93. 113.
5) Littré V 274 Ermerins I 562.
6) Gal. XVII A 884.

nisi ad pustulas visu horribiles non pertinere luee elarius est.

In aphorismo seetionis secundae *Φλέβες κροτάφων οὐχ ἱδρυμέναι οὐδὲ χλώρασμα λαμπρὸν . . .*[1]) verba obseura *χλώρασμα λαμπρὸν*, de quibus inter omnes interpretes ambigitur, Sabinus audaeter, ut omnem ambiguitatem evitaret, in *χρῶμα λαμπρὸν* mutavit, ita ut nativus color splendidus audiretur, neque tamen hac ratione voeem non satis perspicuam, sed sanam demutare lieet; quam Sabini interpretationem Johannes Alexandrinus usurpavit:[2]) 'non vult enim (se. Hippoerates) ut quidam putant viridem proprie colorem dieere sed simplieiter eolorem.'

Ad aphorismum, quo de eruetatione agitur,[3]) Sabinus annotat ruetus bibendo ex vase angusti oris exeitandos esse,[4]) quod praeeeptum Johannes auctore teeto silentio in eommentarium suum reeepit.[5])

Pg. 977 sq. Galenus in lemmate *Ὁ παρὰ Τημένεω ἀδελφιδῆ, οὗτος μελάγχρως ἐν Περίνθῳ· τὸ γονοειδὲς τὸ τοιοῦτον ὅτι κρίσιμον . . .*[6]) traetando *ἐν Περίνθῳ* verba eum insequentibus eoniungere mavult, ita ut duos diversos aphorismos habeamus, quorum sit prior: *ὁ παρὰ Τημένεω ἀδελφιδῆ, οὗτος μελάγχρως*. Sabinus autem antecedentibus Hippocratem privatis sermonibus loeorum aut aegrotantium nomina apponere solere arbitratus adicere vult; Sabinum reeentiores interpretes secuti sunt, quia Temenis familiam Perinthi habitasse eonstat.[7])

Deinde Sabinus nobis t. XVII B p. 15 oeeurrit, ubi Galenus eum lemma *Ὁμοίως γὰρ ὅλον* adscriptum anteeedentibus sieut Zeuxidem non explieuisse queritur. Iden-

1) L V 280. E I 566. Gal. XVII A 930.

2) Joh. II 7 (Artic. fol. 125 v.). cf. Pseudopallad. p. 53 (Dietz II).

3) L V 286.

4) Gal. XVII A 968.

5) Johann. II 18 (Artic. Hipp. f. 126 v.). cf. Pseudopallad. p. 62 (Dietz II): nam plerumque per sorbitionem cum vase angusti oris id efficitur.

6) Littré V 286. Erm. I 571. Fuchs II 261.

7) Littré l. l.

tidem Pergamenus Sabinum in illo sectionis tertiae aphorismo declarando[1]) citat, de quo veteres, quia eiusdem sectionis aphorismum 14[2]) non contulerunt, multa vana scripserunt. Sabinus secundum illum aphorismum hic quoque de coituris Hippocratem loqui vult: magnam enim permutationem in corpore fieri, qua flatus et epilepsia et renum affectus aliique longinqui morbi excitentur, praeterea Democritum dixisse hominem ex homine in coitibus prosilire, itaque multum mordentem pruritum propter spermatis et caloris acerbitatem[3]) pati; cum vero feminarum et marium haec observatio communis sit, ad feminas praecipue id lemma pertinere, utero enim intestinum subiacere, vesicam autem impositam esse, itaque uterum distentum in coitum et intestini et vesicae excrementa retinere et flatu et urina retentis abdomen tumescere. Quam Sabini sagacem interpretationem probare non possumus, quod Hippocrates non de feminis sed sine ullo dubio de viris tantummodo loquitur, praeterea nihil neque in codicibus neque apud commentatores de coituris legimus, quam ob rem tota Sabini explicatio reicienda est, quae tamen Palladio et Johanni non inepta videtur, uterque enim Sabinum laudat,[4]) Rufi autem interpretationem '*φόβος*' coniectura pro lectione genuina recepta praefert.

Etiam in lemmate *βραχέα ὑφέντα παχῦναι ξηρά*[5]) Sabinus scripturam mutat de retractione ad lacertum hic Hippocratem agere arbitratus, quae sanguini e naribus erumpenti prosit, et concedit Galenus sectionem venae brachii ad sanguinem e naribus profluentem sistendum

1) XVII B 26 sqq.

2) Littré V 300. Ermer. I 578.

3) Hic Galeni locus (p. 28) corruptus est, cum e verbis *διὰ τὴν ἀλήθειαν τοῦ θερμοῦ* sensum sanum elicere non possimus; versio Latina ('ob seminis salsuginem atque acrimoniam') nimis a contextu Graeco discedit, quam ut verba genuina reddat; mea quidem sententia *ἀλήθειαν* vox sola corrupta est; H. Schoene conicit *ἀήθειαν*. Hoc testimonium Dielsius (Vorsokr.[2] I 397 sqq. fr. 32) neglexit.

4) Pall. p. 80. Joh. III 7.

5) L I 298, E V 578. Gal. XVII B 67.

utilem esse, sed cum hanc lectionem nullus codex vel interpres testetur, ab hoc loco alienam esse; praeterea fieri non potest, quin *βραχίονα ὑφέντα* verba venae lacerti sectionem significent. Qua de Sabini interpretatione Palladius et Johannes Galeni sententiam sequuntur; uterque iatrosophista Sabinum nuncupat eiusque interpretationem eadem de causa qua Galenus improbat[1]).

Aphorismus *τὰ στρογγυλόμενα πτύελα παραπλουστικά, οἷα ἐν Ἰλιηνῷ* propter verba *οἷα ἐν Ἰλιηνῷ*, pro quibus in nonnullis codicibus legitur *ὡς ὁ σπλὴν οἴω*[2]) difficilis est. Galenus, utra lectio genuina sit, diiudicare non audet neque, ubi *Ἰλιήν* sive *Ἰλιηνός* locus fuerit, scit, neque Sabinus, quamquam *Ἰλιήν* cuiusdam loci nomen esse docet, quicquam certi de eo accepisse videtur. Deinde Pergamenus p. 275 sq. Sabinum memorat[3]) eiusque explicationem partim laudat partim improbat: laudat Sabinum colliquatione alicubi in corpore facta urinam colorem eius partis referre scripsisse, quod autem Sabinus urinam lotio iumentorum similem colliquationem significare adicit, Galenus recte quidem adversatur, nam Hippocrates interiorum partium uniuscuiusque colliquescentis colorem urinam significare vult.

Paulo post Pergamenus p. 288 in declarando obscuro aphorismo *Τὰς ἐπαυξέας νούσους μίξις*[4]) disceptantibus omnibus interpretibus praestantissima interpretatione electa morbos *ἐπαυξέας* eos dicit, qui procedente aetate augentur et, nisi solvuntur, peiores fiunt, velut podagras, epilepsias ceterosque, qui coitu ingravescunt; Sabinus autem eos morbos, qui pueros corripiunt usque ad pubertatem, crescentes intellegit: epilepsiam, renum affectum, febres quartanas, capitis dolorem, quam Sabini sententiam Palladius et Johannes[5]) et nostrae aetatis viri docti secuti sunt, sed

1) Pall. p. 93 (Dietz II). Johann. III 18.
2) L V 304. E I 581. Fuchs II 268. Gal. XVII B 107.
3) L V 318. E I 591. F II 274.
4) L V 320. E I 592. F II 275.
5) Pall. p. 145. Joh. V 28.

iatrosophistae *ἐπαυξέας νούσους* epilepsiam solam, quae praecipue Hippocrati in animo est, intellegi volunt. In hoc aphorismo declarando Sabinus sagacem interpretem se praestitit, Galenum autem miramur, quod probabilem explicationem Sabini ceteris non praetulit, sed ipse falsam secutus Sabinum confutare conatus est. Cum aliis locis tum hic Galeno rem non prospere successisse apparet.

P. 323 denique Sabini ultima interpretatio nobis obvia est, ubi de aphorismo[1]) *ὁ ἐμψυχρότερος ἐν ψυχρῇ ὥρῃ καὶ χώρῃ ἐνθερμότερος ἔσται* agitur, quem Sabinum ad natura frigidiores homines referre recentiores interpretes probant; etiam Pergamenus et Johannes (VI 4), si veram interpretationum eorum rationem exigimus, Sabini sententiam secuti sunt, uberioribus tamen explicationibus subiectis, quarum altera ab altera maiore ex parte exscripta est. Ex his aliorumque Pergameni commentariorum locis Sabinum interdum subtiliter et magna sagacitate Hippocratem interpretatum esse, plerumque autem locis, quos intellegere non potuit, contextum audacius mutare vel ad absurdas explicationes confugere non dubitasse apparet.

Praeter hos commentatores tractatos Artemidorus[2]) et Dioscurides[3]) quoque, quos Galenus in nostro commentario saepe memorat et taxat, quod Hippocratis contextum leviter mutaverint, non modo editiones operum Coi confecerunt,[4]) sed etiam interpretando operam navasse videntur,[5]) Epidemias autem eos declaravisse verisimile non est, nam quod Johannes Alexandrinus Dioscuridem Epidemiarum librum sextum explicasse scribit, iatrosophista erravit.[6])

1) L V 324. E I 594. F II 276.

2) Gal. XVII A 795. 798. XVII B 30. 75. 97 sq. 104. 154. 310.

3) XVII A 795. 888. 909. 914. 937. 956. B 30. 32. 35. 75. 104. 193 sq. 263. cf. XV 21.

4) cf. Ilberg, Mus. Rhen. t. 45 p. 113 sqq.

5) cf. XV 359 *Καπίτωνος καὶ Διοσκορίδου καὶ τῶν ἄλλων τολμηρῶν ἐξηγητῶν.*

6) Joh. II 9 (Artic. f. 125 v.): Dias. (i. e. Dioscurides) vero exponens particulam istam.

2. Commentatoribus, qui ante Galenum floruerunt, tractatis nunc Pergameni ipsius de commentario agam. Pergamenus ipse commentarios suos in duas classes divisit, quarum altera in usum amicorum scripta in Epidemiarum librum primum tres libros explanationum continebat. Galenus eos commentarios paulo post quam ex Asia rediit relicta Pergami bibliotheca Romae conscripsit; alterius autem classis commentarii '*πρὸς κοινὴν ἔκδοσιν*', collatis diligenter aliorum explanatorum operibus, confecti sunt, in quibus etiam Epidemiarum commentarii librorum secundi, tertii, scripti sunt.[1]) Accurate igitur vetustiorum interpretum commentariis aliorumque medicorum adhibitis, qui ad easdem res pertinent, libris uberrimas suas libri sexti interpretationes conscripsit, ita ut commentarius omni eruditione atque doctrina ornatum auctorem profiteatur.

Neque tamen priores clari interpretes despiciendi sunt, nam vidimus eos non minus accurate et interdum subtilius Pergameno perspiciendis aphorismis Coi operam dedisse; quoquomodo potuerunt, lemmata perspicua reddere conati locis obscurioribus ad coniecturas confugerunt. Omnino eadem ratione commentandi usi sunt ac Pergamenus. Galenus autem non modo rationem commentandi sed etiam permultas interpretationes a prioribus recepit, auctores autem non citavit nisi eis obloeuturus aut eorum auctoritatem locis difficilibus intellectu adhibiturus. Eis locis, quibus omnes vel plurimi interpretes consentiunt, Galenum plerumque eorum sententiam sequi consentaneum est; disceptantibus commentatoribus probabilem sibi sententiam electam suam faeit aliis quoque interdum interpretationibus plerumque sine auctoris nomine allatis. Cum satis multos et uberrimos commentarios Galeno in promptu fuisse sciamus, non multa ipsius propria esse iudicare debemus; etiamsi Pergamenus, quasi ipse demum praeter ceteros interpretes rectum invenerit, loquitur; sed qui Galenum novit, eum persaepe ab aliis elam transscripsisse concedit,[2]) praesertim

1) cf. Ilberg, Mus. Rhen. t. 44 p. 213 sqq.
2) cf. Ilberg. Mus. Rhen. 51 p. 196.

cum floruerit illa aetate, qua ars excerpendi et compilandi florebat. Semper tamen suo praecipue iudicio usus est, haud raro in errorem incidit, falsam interpretationem saepius rectae praetulit, neque eodicum genuinam scripturam a coniectura distinguere potuit; ut denique dicam quid sentiam, Pergamenus non ex sagacissimis interpretibus fuit; cum vero ex prioribus commentariis omnia ad intellegendam Hippocratis doctrinam contulerit, et Coi et ipsius aliorumque clarorum medicorum vel scriptorum ex operibus locos, qui eadem attinent, attulerit, commentarium eius ceteris uberiorem fuisse puto; libenter enim Galenus res quasdam minus necessarias verbose inseruit, ut omnino ambages narrare solet, libenter ad illustrandos Coi aphorismos aliorum medicorum dicta memorat, aut Hippocratem si quis impugnavit ab iniuria defendit; quoniam ipse interpretis esse scriptorem ab insidiis tueri contendit.[1])

Unus ex vetustissimis medicis a Pergameno laudatis Euryphon est, cuius nomen Cnidiarum sententiarum *(Κνίδιαι γνῶμαι)*[2]) collectio prae se fert, ex quibus Galenus locum, quo *πέμφιξ* vocabulum ambiguum occurrit, affert, ut ex Euryphontis usu, quid Hippocrates audiri voluerit, manifestum fiat.

Dioclem medicum bis laudat[3]) eiusque ex opere *γυναικεῖα* inscripto Hippocratis doctrinam comprobat, marem in utero citius femina confirmari et moveri, quam omnes medici exceptо Diogene Apolloniate pro recta acceperint. Alterum ad lemma, quod de eis, quibus in eundo venter inflatur, agit, Dioclem una cum Plistonico et Aristotele memorat, qui melancholicos libidinosos esse docuerint, propterea quod pneuma flatuosum in hypochondriis eorum colligeretur, itaque eiusmodi vitia ab Dioele, Plistonico aliisque medicis hypochondriaca nominata esse.

---

1) XVIII B 319.
2) Gal. XVII A 886 legendum est *Κνίδιαι* pro *ἴδιαι*.
3) XVII A 1006. B 29.

In lemmatis libri primi sectionis primae *Αἱ τῶν νηπίων ἐκλάμψεις* commentario Herophilus et Callimachus[1]) citantur, qui de infantibus scripserunt. Eisdem locis etiam Palladius[2]) et Johannes[3]) Herophilum eiusque sententiam memorant. Saepius Erasistratus ut vir clarissimus citatur,[4]) primum una cum assectatore Chrysippo eum vituperat, quod febrium essentiam perperam explicaverint, — Erasistratus nimirum in libro *Περὶ πυρετῶν*[5]) — neque iatrosophistae suo loco Erasistratum praetermiserunt Galeni iudicium secuti.[6])

Deinde p. 198 sq. Erasistratum in siti superficiali tractanda, tunc p. 264 in aphorismo *Ψυχῆς περίπατος, φρονὶς ἀνθρώποισιν* explicando, denique p. 320 sq. una cum Asclepiade de respiratione agens laudat,[7]) qui etiam duobus aliis locis citatur.[8])

Atque primum quidem eum secundum Epicurum[9]) contra Aristotelem et Stoicos[10]) in aqua et aëre spatia inania esse memorat docuisse,[11]) deinde p. 246 aggressus ad aphorismum: *Ἀνθρώπου ψυχὴ φύεται ἄχρι θανάτου*, Ascle-

---

1) XVII A p. 826.

2) Palladius II p. 12 D.

3) Joh. I 4 fol. 121 r.

4) XVII A 873. B 198 sq. 264. 320. 321.

5) Chrysippum de febribus scripsisse verisimile non est, nam Marcellinus (De pulsibus ed. H. Schoene, Festschrift zur 49. Philologenversammlung, Basel 1907 p. 462 l. 235 sqq.) Chrysippi sententias non ex eius libro sed secundum Erasistratum *(ὡς φησιν Ἐρασίστρατος)* profert.

6) Pall. II 32 D. Joh. I 16 f. 123 r.

7) iatrosophistae quoque secundum Pergamenum in hoc lemmate declarando Erasistratum memorant, Johannes etiam Asclepiadis mentionem facit. Pall. II 153. Joh. VI 2; hoc loco Galenus Asclepiadis *Περὶ ἀναπνοῆς καὶ τῶν σφυγμῶν* librum in animo habet.

8) XVII B 162. 264.

9) cf. Usener, Epicurea p. 203, 5.

10) Joh. ab Arnim l. c. II p. 218. 143. 172.

11) nimirum in libro *Περὶ στοιχείων*.

piadem[1]) *φύεται* verbum idem valere quod *γεννᾶται* contendisse narrat.

Aequalis Aristotelis Praxagoras Cous[2]) quoque bis nobis obvius est, primum in longo differentium febrium lemmatis commentario Praxagoram in libro, quem inscripsit *διαφοραὶ τῶν ὀξέων*, praeter ceteras febrium species etiam phreniticas et lethargicas et ictericas internovisse legimus; deinde in aphorismi *Ἐν Περίνθῳ τὸ γονοειδὲς τὸ τοιοῦτον ὅτι κρίσιμον* . . . . commentario Pergamenus urinam speciem seminis habentem iudicatoriam fieri posse docet, si humor, qui a Praxagora vitreus appellatus sit, evacuetur.

Recentiorum medicorum Archigenes,[3]) Agathinus,[4]) Herodotus[5]) citantur. Archigenis Galenus in differentium febrium lemmatis commentario de febrium differentia sententiam se praetermisisse annotat.[3]) Archigenes enim *Περὶ πυρετῶν σημειώσεως* decem libros confecit, quibus Galenus in libro De febrium differentia conscribendo usus est.[6])

Agathinum Galenus iterum quasdam febres exponens ultra tria intervalla exacerbatam febrem et remittentem *μέγαν ἡμιτριταῖον* nominasse docet; nempe Agathinus quoque de febribus vel semitertianis libri auctor fuit.[7]) Herodoti, discipuli Agathini liber, qui inscribitur *ἰατρὸς*[8]), memoratur,

---

1) Asclepiades non commentarium Epidemiarum confecit, sed de anima agens hunc locum exposuit cf. Cael. Aurel. ac. m. I 14 p. 41 sqq.

2) Gal. XVII A 889. 979. Hunc Nicarchi filium esse puto, praeter quem etiam alterum Praxagoram medicum fuisse Hermannus Schoene demonstravit (Mus. Rhen. t. 58 p. 57. 64).

3) XVII A 891.

4) XVII A 942.

5) XVII A 999.

6) cf. Wellmann, Die Pneumatische Schule bis auf Archigenes (Phil. Unters. t. 14) p. 20 sq. 84.

7) cf. Wellmann, ap. Pauly-Wiss. I p. 745.

8) fortasse hic sub Galeni nomine servatus liber est, qui inscribitur *ἰατρός*. cf. H. Schoene, Galeniana (Sehedae philologae Hermanno Usener oblatae, Bonnae 1891) p. 89; obloeutus est Wellmann, Pneum. Schule p. 15 adn. 6.

quem nonnulla ad oeconomiam circa aegrotum adhibendam utilia continere annotat.[1])

Praeter medicos Pergamenus physicos quoque et philosophos, si eorum scriptorum locis eum Hippocratis rationes intercedunt, citat. In illo aphorismo, quo Cous foetus masculinos in dextera et calidiore parte uteri gigni docet,[2]) exponendo Pergamenus[3]) Parmenidem[4]) et Empedoclem[5]) idem docuisse ostendit. Parmenidem secundum Galenum etiam Johannes — Palladii huius sectionis commentarius periit — citat:[6]) sic et parmenides dicit, 'In dextris quidem pueri in sinistro vero puelle.' De Epicuro[7]) iam supra egi. Iatrosophistae eum hoc loco neglexerunt, sed ad lemma sectionis quintae: *λαγνείη τῶν ἀπὸ φλέγματος νούσων ὠφέλιμος* eum citant;[8]) Johannes etiam in sectionis tertiae primo commentario eum memorat.[9])

Saepius Plato[10]) et Aristoteles,[11]) citantur. Sanguinem ichoroidem p. 983 exponens Timaei locum[12]) affert, ubi Plato eandem materiam tractat et quid sit ichor explicat. . In explicando lemmate tertiae sectionis, quo Hippocrates Herodicum medicum vituperat,[13]) quod febri laborantes cursibus necaverit, Galenus Platonem idem de Herodico narrare monet,[14]) quod Johannes ex Galeni com-

1) XVII A 999.

2) Littré V 290. F II 262.

3) XVII A 1002.

4) cf. Diels, Fragm. d. Vorsokr.[2] I p. 124.

5) Diels l. c. p. 192.

6) II 27 fol. 128 r. cf. Pseudopallad. II 71 Dietz. Palladius Empedoclem (II 132 D.) solus citat, quem locum Dielsius neglexit.

7) XVII B 162. cf. Usener, Epicurea p. 203, 5.

8) Pall. II 143 D. Joh. V 25 (f. 138 v.).

9) fol. 128 v. haec testimonia Usener neglexit.

10) A 983. XVII B 99. 250. 251. 252.

11) XVII A 810. XVII B 29. 162. 250. 251.

12) Plato, Tim. 83 C.

13) L V 302. E I 579 apud Galenum nomen in '*Ἡρόδικος*' corruptum est.

14) Plato, Respubl. 406 A. cf. C. F. Hermann ad Lucian., quo modo historiam conscribi oporteat p. 218.

mentario recepit.[1]) P. 250 sqq. denique Platonem[2]) cum Aristotele[3]) et Stoicis[4]) de anima humana disserens laudat.

In explicando lemmate, quo Hippocrates gongronarum mentionem facit,[5]) Pergamenus nos de Theophrasti historiae plantarum illo loco commonefacit, quo de arborum gongris disserit.[6])

Ut medici, physici, philosophi, ita Thucydides identidem propter pestis descriptionem citatur:[7]) p. 237, ubi Galenus Hippocratis dictum *ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέει*[8]) interpretatur, Thucydidis de Themistocle iudicium memoratur: in Themistoclem id enuntiatum convenire, quem Thucydides (I 118, 3) propria indole sine ullo magistro optima consilia dedisse et res futuras perspicacissime providisse scripserit.

In vocabulis ambiguis declarandis Galenus alios quoque scriptores et poetas respicit, ut comparato eorum usu loquendi sensum sanum ex obscuris verbis eliciat. Ita in illa dubia voce *περιφιγώδεες*, cuius iam identidem mentionem feci, declaranda, quid apud poetas hoc verbum valeat, disserit,[9]) Aeschyli,[10]) Sophoclis,[11]) Callimachi,[12]) Euphorionis[13]) Ibyci[14]) versibus allatis.

---

1) Joh. III 29 (fol. 131v).

2) cf. Crat. 400 A. Tim. 70 D. Phaed. 108 A. Johannes quoque Platonem memorat V 8 (137r).

3) cf. *Περὶ ψυχῆς* 416 A. 434 A. 474 B. *Περὶ ζώων γενέσεως* 745 B. 757 B. 767 B.

4) Ab Arnim l. l. II 205.

5) XVII B 38.

6) hist. plant. 1, 8, 6.

7) XVII A 882. 885. B 167. 237. cf. Thuc. II 49, 3. 5.

8) L V 314.

9) XVII A p. 879 sqq.

10) cf. Nauck, Tragicor. Gr. fragm.[2] Aeschyl. frg. 195 (p. 65) frg. 170 (p. 56); 183 (p. 60) frg. 206 (p. 69).

11) cf. Nauck l. l. Sophocl. fragm. 313 (p. 205). frg. 495 (p. 250). frg. 314 (p. 205). frg. 496 (p. 250).

12) cf. Schneider, Callimachea II p. 640.

13) cf. Meineke, Anal. Alexandr. p. 113.

14) cf. Bergk, Poet. lyr. gr. frg. 17 p. 1003.

Saepius Homeri quoque versus nobis occurrunt. In ἐρευξις voce declaranda[1]) Galenus se eructationem, sed nonnullos interpretes omnem exeretionem collato Homeri versu . . . ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω[2]) intellegere scribit, quo loco alios quoque commentatores more Pergameni ex poetarum usu loquendi, quid valeat verbum, concludere videmus, et verisimile est tragicorum et lyricorum poetarum versus ad perspiciendam 'πεμφιγώδεες' adiectionem a prioribus explanatoribus iam adhibitos esse; deinde ad 'φρικῶδες' adiectionem explicandam iterum Iliadis versum affert;[3]) similiter αἰθέρος nominis substantivi exponendi causa[4]) Homerum citat; tunc p. 333, quid sit κυκεών, interpretatus suam explicationem Homeri loco[5]) illustrat. p. 340 denique Homeri usum loquendi ab aliis explicatoribus propter verba ἀριστερὸς σπλὴν μέγας respectum esse legimus.[6]) De 'στενυχῶσαι' verbo agens Simonidis Amorgini versus affert.[7])

Praeter hos poetarum locos ad explicandum utiles Galenus alios non necessarios, ut se virum clarorum scriptorum operibus praestet eruditissimum, affert: Interpretes, qui Hippocratis aphorismum Ἐν τοῖσιν ἐμπυήμασιν ὀμφαλὸς ὅρος, οἷσι μέλλουσιν ἐκπυέειν . . . .[8]) varie mutaverint et explicaverint, id fecisse, quod Timon dixerit: εἰκάζων τί θέλεις; ὀλίγον κρέας, ὀστέα πολλά.[9]) — Neque comicos poetas Pergamenus neglexit: sectionis quintae aphorismi ψυχῆς περίπατος φροντὶς ἀνθρώποισιν[10]) commentarium

1) XVII A 969.
2) P 265.
3) XVII B 92. cf. Homer *Il* 63.
4) XVII B 186. cf. Hom. Ξ 287. *Φ* 6. ι 144 sq.
5) Hom. κ 290.
6) cf. Hom. Δ 434. *E* 902. κ 243. ξ 151.
7) cf. Bergk, Poet. lyr. gr. p. 745. Semonidis frg. 14. Gal. XVII A 897.
8) L V 288.
9) cf. Wachsmuth, Sillographor. gr. reliqu. p. 129. Gal. XVII A 989.
10) L V 316.

Aristophanis loco illustravit, φροντίδες vocem διανοήσεις substantivo interpretatus Socratem ab Aristophane 'φροντιστής' per ludibrium appellatum esse memorat,[1]) quod iatrosophistae omisso tamen Aristophane transscripserunt.[2]) Sicut hic Socratem alibi[3]) Periclem a Comicis illusum esse accipimus, de viris enim, qui acuminatum caput habent, agens de Periclis capitis mirabili forma recordatus eum a comicis illusum esse annotat.[4])

Eandem ob causam clarorum virorum de moribus nonnulla narrat; eo loco, quo de medicorum habitu disserit et eius, quod aegroto iucundum sit, rationem habendam esse dicit,[5]) imperatores Antoninum et Lucium Verum memorat, quorum alter tonsis hominibus alter comatis faverit, quam narratiunculam iatrosophistae quoque depravato tamen Lucii in 'Lucianus' nomine[6]) receperunt.

Alio loco,[7]) quo Galenus aliam artem alii servire ostendit medicumque, qui ministrorum velut herbarii vel unguentarii muneribus ipse fungitur, cum gubernatore remigare edocto comparat et cum rege, qui modo militum armis confligere solet, Alexandrum regem Macedonum eiusque patrem Philippum nuncupat, qui militum officiis fungebantur. Iatrosophistae[8]) secundum Galenum Philippum tantummodo Alexandro nescio qua de causa omisso memorant.

Sed non solum scriptores et viros clarissimos Pergamenus cum alibi tum nostro in commentario sed etiam libenter loca, urbes, terras memorat, praecipue quas ipse

1) XVII B 263. cf. Aristoph. Nub. 94 sqq. 1483 sq.

2) Pall. II 136 Dietz. Joh. V 13 (f. 137v).

3) XVII A 819.

4) cf. Plutarch. Pericl. 3. Cratin. frg. 111, Com. Att. frg. I 49 Kock. frg. 240 (p. 86). Teleclid. frg. 44 (p. 220). Eupolis frg. 93 (p. 280).

5) XVII B 150.

6) Pall. II 113 D. Joh. IV 5, 4 (f. 134 v.).

7) XVII B 229.

8) Pall. II 128 D. Joh. V 1 fol. 136 r.

vidit, velut Pergamum vel Asiam,[1]) Alexandriam,[2]) Aegyptum,[3]) Romam,[4]) sed etiam Athenae,[5]) Cos,[6]) Cilicia,[7]) Thessalia,[8]) Boeotia,[9]) Doris[10]) nuncupantur.

Si omnia quae dixi in mentem revocaveris, Pergameni commentarium si non sagacissimi, tamen doctissimi interpretis indicia prae se ferre sicut omnes eius commentarios non in amicorum modo usum, sed '*πρὸς ἔκδοσιν*' conscriptos non negabis; aliorum medicorum vel virorum doctorum et clarorum scriptis adhibitis confecti sunt, praecipue autem Galenus ad sua et Hippocratis scripta lectores relegare non desinit, simulatque qualescumque rationes aliis cum aliis intercedunt.

In nostro commentario Galenus Coi libros citat hos:

Ἐπιδημιῶν II.: XVII A 812. 859. 919. 921. 1007. XVII B 58. 105.

Προγνωστικόν: XVII A 813. 855. 863. 867. 870. 893. 894. 895. 881. 889. XVII B 87.

Περὶ ἀέρων ὑδάτων τόπων: XVII A 827. B 341.

Περὶ διαίτης ὀξέων: XVII A 832. XVII B 78. 99. 326.

Ἀφορισμοί: XVII A 863. 867. 907. 916. 945. 946. 1001. XVII B 9. 36. 42. 58. 77. 124. 135. 167. 169. 253. 276. 323. 325. 332.

Περὶ ἄρθρων: XVII A 864.

Περὶ χυμῶν: XVII A. 905. 907. B 112.

Ἐπιδημιῶν I. XVII B 121. 147.

Et laudanda est haec Galeni ratio, nam multi Hippocratis loci perspici non possunt nisi aliis similibus com-

1) XVII A 929. B 151. 322.
2) XVII A 806. B 155. 163. 182.
3) XVII B 155. 182.
4) B 159.
5) XVII B 307.
6) XVII A 929.
7) XVII B 328.
8) XVII B 306.
9) XVII B 306.
10) XVII B 306.

paratis, neque tamen Galenum omnes ad perspiciendum necessarios locos attulisse ideoque plures perperam interpretatum esse supra p. 16 sq. 20 vidimus.

Ex suis ipsius scriptis Galenus in commentario praecipue ceteros Hippocrateorum operum commentarios citat:

Aphorismorum: XVII A 863. 867. XVII B 213.

Epidemiarum libri secundi: XVII A 859. 860. 861. 863.

Prognostici XVII A 863. 871. 999.

De articulis libri XVII A 864.

De victu in acutis libri XVII A 933. Prorrhetici XVII B 106.

De humoribus libri XVII B 117. 122.

Alia ipsius scripta laudat haec: *Ὑγιεινά* XVII A 817.

Περὶ φυσικῶν δυνάμεων XVII A 836.

Περὶ διαφορᾶς τῶν πυρετῶν XVII A 852.

Ἡ τῶν σφυγμῶν πραγματεία XVII A 851.

Θεραπευτικὴ μέθοδος XVII A 887. 913.

Περὶ κρίσεων XVII A 933. 943. 999.

Περὶ Ἱπποκράτους καὶ Πλάτωνος δογμάτων: XVII B 247. 252.

Restat, ut pauca de tempore, quo commentarius scriptus est, adiciam, qua de re iam Ilbergius luculenter egit, qui omnium Pergameni operum ordine statuto,[1]) quibus annis commentarii confecti sint, enucleare conatus Epidemiarum libri secundi et sequentium commentarios sub imperio Septimii Severi scriptos esse putat[2]) omnes priores usque ad commentarium in *Κατ' ἰητρεῖον* iam Marco Aurelio regnante confectos esse arbitratus,[3]) ita ut inter hunc commentarium et sequentes spatium tredecim fere annorum intercedat. Terminum, post quem scriptus est, certum in commentario ipso invenimus, mentio enim

1) cf. Mus. Rhen. t. 44 p. 207 sqq. t. 47 p. 489 sqq t. 51. p. 165 sqq. t. 52 p. 591 sqq.

2) Ilberg, Mus. Rhen. t. 47 p. 510.

3) Ilberg. M. Rhen. t. 44 p. 238.

fit imperatoris Commodi eiusque patris,[1]) neque tamen hoc loco, utrum vivo Commodo an mortuo commentarius scriptus sit, effieitur. Mihi quidem verisimile non videtur esse Pergamenum, qui iam antea Epidemias explicandas sibi proposuerit et identidem in prioribus commentariis nostros commentarios promiserit,[2]) tam diu eos dilatos sub imperio Septimii Severi demum scripsisse. Omnino enim Ilbergius mihi erravisse videtur, quod nulla fere Pergameni scripta in Commodi imperio ponit, plurima autem opera aetate Severi Galenum iam senem haud ita strenuum confecisse putet. Mihi quidem consentaneum esse videtur Pergamenum non multo post librum *Κατ' ἰητρεῖον* explicatum ad Epidemias accessisse et sub Commodi imperio eas commentatum esse. Huius coniecturae certum argumentum non deest; Pergamenus enim pestem[3]) sub imperio Commodi denuo exortam[4]) tum grassari narrat, qui locus Ilbergium effugit. Quae pestis etiam in libro, qui inscribitur *Ὅτι ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν αἱ τῆς ψυχῆς δυνάμεις ἕπονται*,[5]) quem initio imperii Septimii Severi scriptum esse certius est, commemoratur, sed eo loco pestem ante nonnullos annos[6]) iam finitam esse legimus. Hunc Pergameni librum post nostrum commentarium ortum esse Ilbergius ipse demonstravit, quod in meam sententiam optime convenit.

Sed accuratius tempus commentarii a Galeno compositi definire neqneo, nusquam enim in Pergameni scriptis memoratur, libri autem qui in ipso citantur, iam multo ante confecti fuerunt.

Cum Galenus Hippocratis opera uberrime et doctissime explicavisset, insequentibus saeculis commentariis non

1) Gal. XVII B 150.

2) cf Ilberg l. c. p. 235.

3) Gal. XVII A 885: *οἱόνπερ καὶ τῷ νῦν γινομένῳ πολυχρονιωτάτῳ λοιμῷ.*

4) cf. Hermann Schiller, Gesch. d. röm. Kaiserzeit I p. 666.

5) cf. Ilberg, Mus. Rhen. t. 47 p. 510 sq. t. 51 p. 195.

6) Gal. IV 788: *ἔτεσιν οὐ πολλοῖς.*

opus fuit, neque huius aetatis commentarii nobis noti sunt; a quinto demum p. Chr. n. saeculo eiusmodi opera scribi coepta sunt, cum iatrosophistae, mutatis ratione commentandi et genere scribendi in usum scholarum brevibus summariis egerent; ex operibus Hippocrateis duodecim electa Alexandriae praecipue explicabantur, in quibus etiam Epidemiarum liber sextus fuit, quem Palladius et Johannes Alexandrinus interpretati sunt, quorum de vita atque aetate cum nihil fere constet, nunc lucem in tenebras afferre conemur.

3. Primum Palladium, cum ante Johannem floruerit, tractemus, de quo viri docti praecipue egerunt hi:

Fabricius Biblioth. Graec. ed. Harl. t. X p. 112 sq.

Hermann Conring, De hermetica medicina libri duo (ed. altera Helmestadii 1669) p. 86.

J. Freind, Histoire de la Medecine depuis Galien jusqu'au commencement du seizième siècle (Leide 1727) pars I p. 130 sq.

Joh. Steph. Bernard, Palladii de febribus concisa synopsis (Lugd. Batav. 1745) cf. praefationem.

Kurt Sprengel, Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde (pars II ed. III Halis Saxon. 1823) p. 305.

Heeker, Geschichte der Heilkunde (Berol. 1829) t. II p. 165 sqq.

Fr. Reinh. Dietz, Apollonii Citiensis, Stephani, Palladii, Thophili, Meletii, Damascii, Johannis, aliorum scholia in Hippocratem et Galenum (Regimont. Pruss. 1834) vol. II p. IV sq.

E. Littré, Œuvres d'Hippocrate. t. I (Paris 1839) p. 126 sq.

Ludw. Choulant, Handbuch der Bücherkunde für die ältere Medizin (ed. altera Lips. 1841) p. 131 sq.

Heinr. Haeser, Lehrbuch der Geschichte der Medizin und der epidemischen Krankheiten (ed. III Jenae 1875) t. I p. 456.

Lucien Leclerc, Histoire de la Médecine Arabe (Paris 1876) 2 voll. t. I p. 38. 51. 264.

A. Corlieu, Les Médecins Grecs depuis la mort de Galien jusqu'à la chute de l'empire d'orient (Paris 1885) p. 117 sq.

Steinschneider, Archiv für pathologische Anatomie und für klinische Medizin hrsg. von Virchow. t. 124 (Berol. 1891) p. 121 sqq.

Iwan Bloch, Byzantinische Medizin (Handbuch der Geschichte der Medizin, ed. Neuburger et Pagel, Jenae 1902, t. I) p. 526 sq.

Reliquorum virorum doctorum in Palladium paucas annotationes súis locis commemorabo.

Omnes, qui de Palladii vita eiusque operibus scripserunt, nihil fere eruerunt, cum nusquam quicquam certi inveniatur. Perpauca medici Arabum de eo tradiderunt, neque tamen haec certa, itaque nihil fere scimus, nisi quod ex ipsius duobus commentariis mutilis[1]) liquet, neque, qua aetate floruerit nisi ex genere scribendi et ratione commentandi cognosci potest. In codicibus ei *σοφιστής* titulus ascribitur, ipse autem se medicum esse bis profitetur: *ἡμεῖς οὖν ὡς ἰατροί*,[2]) quo eum '*ἰατροσοφιστής*' (i. e. medicinae professor, qua voce illis temporibus vulgo artis medicae doctores nominabantur[3])) appellatum esse efficitur.

Auctores Arabes eum inter scholae medicorum Alexandrinae professores enumerant, qui Hippocratis et Galeni e scriptis collectionem electam commentati sunt;[4]) ipsius

1) in Epidemiar. VI. (Dietz II 1 sqq.) et in Hippocratis *Περὶ ἀγμῶν*. Palladii scholia in librum Hippocratis De fracturis (Hippocratis opera ed. Anutius Foësius. Trai. ad R. 1595) p. 195; cf. Hippocratis Coi et Galeni opera ed. Charterius (Paris 1697) XII p. 270 sqq.

2) Dietz II p. 3. 143.

3) cf. Pottier, Dictionnaire des Antiquités Grecques et Romaines par Daremberg et Saglio t. III part. 2 p. 1669 (Paris 1904). Stephan. Thesaur. v. *ἰατροσοφιστής*.

4) cf. Steinschneider, Virch. Arch. t. 37 p. 372. t. 124 p. 121 sqq. Steinschneider, Al-Farabi (Mémoires de l'Academie Impériale des sciences de St. Pétersbourg VII Série to. XIII Nr. 4. Petersb. 1869) p. 131 sqq. Leclerc l. c.

quoque commentarii Epidemiarum libri sexti duo loci iatrosophistam Alexandriae versatum esse testantur; altero enim aqua Nili fluminis ab eo his verbis p. 14 commemoratur: *εἰ δὲ τούτων ἐλλείψει, τὸ μέσον γίνεται, ὥσπερ τὸ Νειλῷον ὕδωρ· τοῦτο γὰρ διαυγὲς μέν ἐστιν καὶ ἄποιον καὶ εὐῶδες, ἀλλ' ἰλυῶδες· ἔνθεν ἐπὶ νεφριτικῶν προβούμεθα αὐτῷ χρήσασθαι.* Alter locus p. 150 extat: *ἐν Περσίδι γὰρ ἡ Περσέα δηλητήριος, ἀλλ' ἐνταῦθα*[1]) *τρόφιμος, ταύτης τῆς γῆς ἀπολαύσασα.* Neque tamen certum est eum per totam vitam Alexandriae versatum esse, sed testimonia tam raro obvia sunt, ut neque ubi neque quando natus sit, sciamus; itaque viri docti multa coniecerunt: Conringius[2]) saeculo sexto declinante eum fuisse censet, Bernardius,[3]) qua aetate iatrosophista floruerit, se nescire confitetur. Sprengelius,[4]) Dietzius,[5]) Littreus,[6]) Valentinus Rose[7]) septimo vel octavo saeculo eum fuisse consentiunt. Heeker in quinto vel sexto saeculo eum collocat.[8]) Nunc Palladium saeculo p. Chr. n. quinto docuisse putant,[9]) quod quam dubium sit, iam ex dissensione virorum doctorum concludere potes; pro certo statuere licet, eum post Galenum, auctorem ab eo persaepe citatum et ante Rasem medicum Arabicum fuisse, qui in libro continente artem medicam, qui inscribitur Al-Hawi,[10]) Palladii mentionem facit eiusque tres locos affert;[11]) eum vero

1) *ἐνταῦθα* i. e. Aegypti. cf. Val. Rose, Herm. t. 5 p. 210.

2) l. c. p. 86.

3) l. l.

4) l. l.

5) II p. VI.

6) l. l.

7) l. l.

8) l. l. p. 165.

9) cf. Haeser, Lehrbuch der Geschichte der Medizin und der epidemischen Krankheiten (ed. 3. Jenae 1875) t. I p. 456. Iwan Bloch l. l. Krumbacher, Byzant. Littg.[2] p. 620.

10) Brese. 1486; Ven. 1500. 1506. 1509. In promptu habui exemplar bibliothecae Regimontanae anno 1541 typis exscriptum.

11) IV 2 fol. 97 r. VII fol. 171 r. X fol. 232 v.

Rases saeculo p. Chr. n. nono exeunte floruerit, tamen non multum huic profieimus. Ex genere scribendi et ratione commentandi tantummodo eonieere liect, quibus fere annis iatrosophista scripserit. Palladius enim sicut Johannes Alexandrinus medieus in eommentariis illud prooemium octo eapitum adhibuit,[1]) quo omnes interpretes inde a saeculo sexto deelinante utebantur: *σκοπός, εἰ χρήσιμον, ἡ ἐπιγραφή, εἰ γνήσιον, ἡ τάξις, ὑπὸ τί μέρος ἀναφέρεται, διαίρεσις, διδασκαλικὸς τρόπος*; haec *ὀκτὼ κεφάλεια* infra diligentius tractabo. Uno saeculo antea autem nondum octo sed quinque vel sex eapita eommentatores praemittebant velut Ammonius et Johannes Alexandrinus Grammamaticus, cui cognomen Philoponus erat; apud Ammonium quinque capita inveniuntur.[2]) Iam eius discipulus Johannes Philoponus sex[3]) eapita vulgo praemitti testatur et ipse septimum in uno eommentario adiecit:[4]) *ἓξ ἐστι τὰ ὀφείλοντα προλέγεσθαι ἑκάστου Ἀριστοτελικοῦ συγγράμματος . . . . σκοπός, χρήσιμον, τάξις ἀναγνώσεως, αἰτία ἐπιγραφῆς, εἰ γνήσιον τοῦ φιλοσόφου τὸ βιβλίον, ἡ εἰς τὰ κεφάλεια διαίρεσις, προσθήσω δὲ καὶ ἕβδομον, ὑπὸ ποῖον τῆς φιλοσοφίας μέρος ἀνάγεται.* Constat vero Philoponum sub finem quinti saeculi et sexto saeculo floruisse.[5]) De aeternitate mundi quod inscribitur opus anno Christi 529, De

1) cf. Dietz II p. 2—4. II p. 204—8. Hippocrat. ed. Foës. p. 196. Articell. Hippocr. fol. 120 r. (ad manus mihi fuit exemplar nostrae bibliothecae anno 1483 Venetiis impressum). Steinschneider, Al-Farabi p. 131 sqq. Rose l. c. p. 206. Leclerc l. c.

2) cf. Commentar. in Aristot. III, 5 p. 1. Huius prooemii, quod Gracce *προθεωρία* nominabatur, auctorem fuisse Proclum Fridericus Stein (De Procli Chrestomathia grammatica; Dissert. Bonnae 1907 p. 10) demonstravit. Keilii sententiam, qui illud proemium Boetho vindicare vult, (Nachr. d. K. Gesellsch. d. Wissensch. zu Göttingen, Phil.-hist. Kl. 1907 p. 206 a. 1) iam Brinkmann, Mus. Rhen. t. 62 p. 629 improbavit.

3) Commentar. in Aristot. Gr. XIII, 1 p. 7.

4) Commentar. in Arist. XIII, 2 p. 1.

5) cf. A. Ludwich, De Joanne Philopono (Ind. lect. Regimont. 1888/9) p. 3. Johannis Philoponi De opificio mundi rec. Reichardt, (1897) praef. p. VII sqq.

opificio mundi intra annos 546—549 composuit; itaque Palladium, cum octo capita adhibeat, post Philoponum et Olympiodorum, qui sex capita praemittit,[1]) fuisse conicere licet. Terminum, post quem iatrosophista floruit, habemus, restat igitur ut terminum, ante quem fuit, ei imponamus. Apud omnes commentatores septimi p. Chr. n. saeculi et exeuntis sexti mos est, ut scripta in lectiones *(πράξεις)* dividant, quas apud Johannem Alexandrinum medicum et Davidem, Aristotelis interpretem invenimus;[2]) cum vero in Palladii commentariis haec divisio non obvia fiat, hic mos eius aetate nondum fuisse putandus est, nam Palladium nequaquam ab aequalium ratione commentandi discessisse verisimile est. Hoc modo ratiocinatus Palladium paulo post Philoponum sed ante Johannem medicum eiusque aequalem Davidem, quem saeculo septimo et exeunte sexto fuisse certius est,[3]) intra annos fere 550—600 floruisse coniciam. Accedit, quod nonnullae aliae res Davidi, Johanni medico eorumque aequalibus propriae nondum apud Palladium occurrunt. Johannes medicus more Davidis et Stephani saepius praeceptorem quendam commemorat eumque sine nomine 'noster maximus sophista'[4]) vel 'triseudemon maximus noster sophista'[5]) summa reverentia vocat, quem apud Palladium et Philoponum nondum reperimus; ceterum genus dicendi cum Palladii collatum omnino indicia posterioris aetatis prae se fert; ut exemplum afferam, vox *ἰδού*, quam in Philoponi operibus raro, apud Davidem, Stephanum, Johannem persaepe legimus, apud Palladium rarius invenimus: Johannes medicus in brevi fragmento commentarii in librum *Περὶ παι-*

1) Comment. in Aristot. XII, 1 p. 1.

2) cf. Dietz II p. 211 sqq. Commentar. in Aristot. XVIII, 2 p. 1. Rose l. l. p. 206.

3) cf. Busse, Comment. in Aristot. XVIII, 2 (Berol. 1904) p. VI; (Programm d. Friedrichsgymn. zu Berlin 1892).

4) Artic. VI 24, 5 (fol. 143 v). VIII 27 (150 v). VIII 45 (152 r).

5) IV 5 (fol. 133 v). VII 7 (145 v). VIII 47 (152 v). Rose l. l. p. 206.

δίου φύσεως scripti 29 paginis duodecies *ἰδού* vocem habet: Dietz. II p. 211. 212 (bis!). 213. 216. 219. 222. 224. 225. 226 (bis!). 232; Palladii in commentario *Περὶ ἀγμῶν* operis nusquam extat, in nostro commentario 163 paginis septies eam adhibet: p. 82 (bis!). 150. 157. 170. 183. 192. Quae cum ita sint, Palladium ante Davidem, Stephanum, Johannem medicum scripsisse probabile est.

Priusquam ad scripta iatrosophistae tractanda transeam, commemorare mihi liceat, medicum Arabicum, cui nomen est El-Mukthar Abu'l Hasan Ibn Botlan memoriae prodidisse Palladium et Johannem fidei Christianae addictos fuisse,[1]) quod etiam nonnulli commentariorum loci palam faciunt.[2])

Scripta autem Palladii praeter parvum fragmentum servata et edita sunt tria: 1) *Περὶ πυρετῶν σύντομος σύνοψις* edita primum ab Johanne Charterio cum versione Latina (1646), deinde a J. Stephano Bernard cum versione Latina (Lugd. Batav. et Traiecti ad Rhen. 1745), tunc ab Julio Ludovico Ideler in: Physici et Medici Graeci Minores (Berol. 1840) vol. I p. 107 sqq. Tunc hunc libellum edidit Demetrius Sicurus ex codice Laurentiano: Theophili et Stephani Atheniensis de febrium differentia (Florent. 1862). Demetrius igitur hunc tractatum Stephano Atheniensi et Theophilo Protospathario vindicat, quorum sub nomine in plerisque codicibus leguntur,[3]) viri docti recentiores autem nixi loco commentarii Epidemiarum libri sexti, ubi Palladius de febrium differentia librum citat, huic illam synopsin addixerunt;[4]) legitur enim in commen-

1) cf. Steinschneider, Al-Farabi p. 166.

2) Pall. II p. 30 D = Joh. I 15. Pall. 142 = Joh. V 22 (fol. 138 v); Pallad. in Hippocratis *Περὶ ἀγμῶν* librum (Hippocrat. ed. Foës) p. 198: *μάθωμεν σὺν θεῷ κατὰ τὴν λέξιν ἀκριβέστερον.* Joh. IV 5 (f. 134 v): speramus in deo, quod salutifera erit.

3) cf. Choulant l. l. p. 132.

4) cf. Choulant l. l. Haeser l. c. p. 456. Iwan Bloch l. l. p. 527. Diels, Hss. d. antiken Ärzte II 75.

tario nobis tractando:[1]) *εἴρηται δὲ ἐν τῷ περὶ διαφορᾶς πυρετῶν, πῶς αἱ οὐσιώδεις διαφοραὶ τοῦ πυρετοῦ λαμβάνονται ἐκ τῆς ποιότητος . . . .* et alio loco:[2]) *ἐπειδὴ ὡς εἴρηται ἐν τῷ περὶ διαφορᾶς πυρετῶν*; ex his autem locis discerni non potest, utrum iatrosophista ipse De febribus synopsin scripserit necne, similiter enim et aliorum scriptorum opera memorat velut Hippocratis prognosticum:[3]) *ὥσπερ ἐν τῷ προγνωστικῷ εἴρηται*, vel alibi:[4]) *εἴρηται γάρ τι τοιοῦτον ἐν τῷ περὶ αἰτίας*, vel p. 186: *ἀλλ' εἴρηται ἐν τῇ διαγνωστικῇ*. Mea quidem sententia Palladius Galeni *περὶ διαφορᾶς πυρετῶν* opus in animo habet, ex quo synopsis maxima pars descripta est, praesertim cum illud opus in collectionem Alexandrinam sedecim scriptorum receptum sit, de qua infra agam. Quae cum ita sint, illum librum Theophilo et Stephano addicere malo, quorum sub nominibus in plerisque codicibus legimus.

2) Alter commentarius Palladii in Hippocratis librum De fracturis mutilus diem tulit *(σχόλια εἰς τὸ περὶ ἀγμῶν Ἱπποκράτους)*,[5]) qui bis editus est; primum a Santalbino: Palladii scholia in librum De fracturis graece et latine edidit Jac. Santalbinus: Hippocrates ed. Anutius Foësius, Francof. 1595 sect. VI p. 196 sqq. deinde a Charterio: Hippocratis Coi et Galeni Pergameni opera ed. Charterius (Paris 1697) XII p. 270 sqq.

3) Tertius denique commentarius Palladii in lucem prodiit primum et solum Graece a Reinholdo Dietz[6]) editus, cuius libri etiam versionem Latinam Crasso auctore habemus,[7]) dico commentarium mutilatum nobis diligentius tractandum in Hippocratis Epidemiarum librum sex-

1) Dietz II 164.
2) Dietz II 166.
3) Dietz II 31.
4) p. 181.
5) Diels, Hss. d. antiken Ärzte II 76.
6) Dietz l. c. II p. 1 sqq. Diels, Hss. der antiken Ärzte II 76.
7) Breves interpretationes sexti libri de morbis popularibus Hippocratis e voce Palladii Sophistae collectae, in: Medici antiqui Graeci ed. Junius Paulus Crassus Patav. Basil. 1581.

tum *(σχόλια τῆς ἕκτῆς ἐπιδημίας ἀπὸ φωνῆς Παλλαδίου σοφιστοῦ)*.

Praeter hunc commentarium Dietzius fragmentum operis *περὶ βρώσεως καὶ πόσεως* inscripti in cod. Laurentiano plut. 74, 2 membranac. s. XII extans edidit.[1])

Sed alia quoque scripta Palladii inedita in codicibus legi Dietzius praefatur[2]) et Fabricius testatur. In codice Laurent. plut. 74, 11 bomb. *σχόλια ἀπὸ φωνῆς Παλλαδίου εἰς Γαληνοῦ τὸ περὶ αἱρέσεως*[3]) se invenisse Dietzius narrat,[4]) quae edidisset, nisi librum mendosissimum et temporum iniuria turpissimum esse animadvertisset. Praeter Palladii scholia in Hippocratis Epidemiarum sextum librum, eiusdem librum De fracturis et synopsin De febribus Santalbinum Palladii scholia in Hippocratis librum De morbis acutis Venetiis extare se a viris doctis accepisse refert, quae scholia ipse nunquam viderit.[5])

Neque tamen haec opera, quae Palladius scripserit, omnia esse et ex eo conicere licet, quod hi duo commentarii, quos habemus, tam male servati sunt, et quod apud medicos Arabum eius auctoritas permagna fuit, quos nunc adeamus.

Alexandria enim anno circiter 642 ab Amro capta bibliotheca et schola medicorum in manus Arabum pervenerunt; magna parte librorum in Arabicam linguam versa ex illo tempore actas medicinae, quae vocatur Graeco-Arabica, Alexandriae institit. Verum autem non est, quod Abulpharagius[6]) bibliothecam ab Arabibus incensam omnesque fere libros incendio deletos esse memoriae prodi-

1) cf. Dietz II p. VII, quod opus integrum Venetiis extare dicitur. cf. Fabricius Bibl. Gr. ed. Harl. X p. 112 sqq. Diels, Hss. d. antiken Ärzte II p. 75.

2) Dietz p. VI.

3) collectionis Alexandrinae liber primus. Diels, Hss. d. antiken Ärzte II 76.

4) cf. Fabricius l. l.

5) cf. Fabricius l. l. Haec scholia Hermannus Schoene quoque in bibliotheca Marciana frustra quaesivit.

6) Leclerc l. l. p. 56.

dit;[1]) tota illa Johannis Philoponi fabula ab Abulpharagio ficta est,[2]) nam Johannes Nicius, qui illa aetate ipse vixit, de hoc incendio tacet, immo vero Amrum vectigalibus urbis incolis impositis milites suos praedari vetuisse narrat.[3]) Medici Arabum doctrinam medicorum praecipue sexti et septimi saeculi receperunt eorumque scripta in linguam vernaculam transferebant, a quibus nonnulla de auctoribus Graecis accepimus, quorum omnes fere libri perierunt.

Cum ceteris medicis Palladium quoque Arabes et variis nominibus citant, nam cum P littera careant,[4]) pro qua modo F modo B litteras scribunt, iatrosophistam: Balladius vel Feledius vel Fledius vel Feldius vel Afladius, interdum etiam Miladius nominant. Ita a Rase in libro, qui inscribitur al-Hawi, Palladii mentio fit eiusque commentarius deperditus Aphorismorum citatur:[5]) 'Miladius (i. e. Palladius) de libro amphorismorum (sic!) dixit quod si ictericia fuerit ex calefactione complexiones venarum metipsarum.' Praeterea duobus locis iatrosophista a Rase citatur,[6]) primum, ubi de lacte agitur: 'Palladius de lacte: lac sanat ulcera pulmonis eo quod cum agnositate mundificat et caseatione implet et consolidat ideo sanat ptisicos non cum fuerint febricitantes cum vehementi caliditate aut pervenerint ad epticam quoniam non digeritur et ex caliditate vehementi mutatur;' deinde Rases locum Palladii affert, ubi iatrosophista de ulceribus vesicae et renum disserit: 'Baladius in capitulo cuius principium designat quod ulcera vesicae et renum sunt difficilis sanationis.

1) cf. Butler, The Arab conquest of Egypt and the last thirty years of the Roman dominion (Oxf. 1902) p. 401 sqq.

2) cf. Butler l. c. p. 422 sqq.

3) cf. Chronique de Jean, évêque de Nikiou, texte éthiopien publié et traduit par M. H. Zotenberg (Notices et extraits des Manuscrits de la bibliothèque Nationale et d'autres bibliothèques t. 24, Paris 1883 première partie) p. 584 sqq.

4) cf. Steinschneider, Virch. Arch. t. 37 p. 377; t. 42 p. 109.

5) fol. 171 v. cf. Leclerc l. c. p. 264. Steinschneider, Virch. Arch. t. 37 p. 372.

6) Al-Hawi fol. 97 r (IV 2). fol. 232 v (X).

Dixit ulcus non fit in carne renum: sed in si fac (sic!) eorum ubi est urina.' Hi duo loci non ex commentariis Palladii servatis sed ex aliis eius scriptis deprompti sunt.

Praeterea ab alio medico, cui nomen est Ibn Abi Oseibia, Palladius in eis viris enumeratur, qui collectionem illorum duodecim operum Hippocratis et sedecim operum Galeni composuerint et explanaverint, in quibus etiam Johannes Alexandrinus est. Arabes enim Palladium, quamquam alia aetate fuit ac ceteri una cum Johanne Alexandrino, Stephano aliisque medicis illi encyclopaediae Alexandrinae colligendae et explicandae operam dedisse narrant, quos viros doctos quattuor fuisse El-Kifti et Ibn Abi Oseibia docent, septem autem Ibn Botlan apud Ibn Abi Oseibiam enumerat.[1]) Alexandriae enim illis temporibus duae praecipue collectiones ex Hippocratis et Galeni scriptis electae a medicinae doctoribus in usum tironum semel atque iterum explanabantur, in quibus libris medicinae studiosi haerebant; quae collectiones nobis ex fontibus Arabicis notae sunt, fuerunt autem in altera duodecim opera Hippocratis haec:[2])

1. Iusiurandum.
2. Aphorismi.
3. Prognostica.
4. Regimen acutorum.
5. De fracturis.
6. De capitis vulneribus.
7. Epidemia.[3])
8. De humoribus.

---

1) cf. Steinschneider, Al-Farabi p. 166. Leclerc l. l. p. 40 sqq.

2) cf. Steinschneider, Virch. Arch. t. 124 p. 116. Hâdschi Khalfa (Haji Chalfa), lexicon bibliographicum et encyclopaedicum (7 voll. London 1835—58) edidit Fluegel t. V p. 51. 52. 56. t. IV p. 155. Leclerc I 123.

3) i. e. Epidemiarum liber sextus, qui solus in collectionem receptus est. cf. Johann. Alex. fol. 120 r: quoniam nos res sequimur propter hoc sextam (se. epidemiam) magis eligimus. cf. Pall. pag. 3.

9. Officina medici.
10. De aëribus, aquis, locis.
11. De natura hominis.
12. De foetibus.

Hic ordo non est genuinus collectionis, cum Epidemiarum librum sextum post Regimen acutorum subsecutum esse Palladius[1]) et Johannes[2]) initio praefationum testentur. Qua de causa Franciscus Valentinus, qui anno 1483 editionem Articellae Hippocratis curavit.[3]) post librum, qui inscribitur *περὶ διαίτης ὀξέων*, Johannis commentarium posuit.

Altera vero collectio fuit sedecim scriptorum Galeni, quae etiam maiore auctoritate apud Arabes utebatur, quam Hippocratis; continebat autem scripta haec:[4])

1. *Περὶ αἱρέσεων τοῖς εἰσαγομένοις.*
2. *Τέχνη ἰατρική.*
3. *Περὶ τῶν σφυγμῶν τοῖς εἰσαγομένοις.*
4. *Τῶν πρὸς Γλαύκωνα θεραπευτικῶν.*
5. *Περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην στοιχείων.*
6. *Περὶ κράσεων.*
7. *Περὶ δυνάμεων φυσικῶν.*
8. *Περὶ ἀνατομῆς.*
9. *Περὶ αἰτιῶν συμπτωμάτων.*
10. *Περὶ διαγνώσεως τῶν πεπονθότων τόπων.*
11. *Περὶ σφυγμῶν.*
12. *Περὶ διαφορᾶς πυρετῶν* $\bar{\beta}$.
13. *Περὶ κρίσεων* $\bar{\gamma}$.
14. *Περὶ κρισίμων ἡμερῶν* $\bar{\gamma}$.
15. *Θεραπευτικῆς μεθόδου* ιδ.
16. *Ὑγιεινῶν* $\bar{\varsigma}$.

Has collectiones in codicibus Hippocratis et Galeni reperire

1) Pall. II p. 1 Dietz.
2) Artic. Hipp. fol. 120 r.
3) cf. Artic. fol. 211 v.
4) cf. Steinschneider l. c. Leclerc l. c. R. von Töply, Studien zur Anatomie im Mittelalter, Lips. et Vindob. 1898 p. 23.

non potui, frustra medicorum veterum codicum descriptiones[1]) a Dielsio editas perlustravi et contuli, nullus liber opera electa omnia vel eorum saltem plurima continet. Quorum operum Palladius si non omnia tamen multa, quamquam de quattuor commentariis tantummodo certiores facti sumus, explicuisse, coniecre licet, eum tanta auctoritate apud Arabes utcretur.

4. Sed multo maior apud Arabes Johannis medici Alexandrini auctoritas fuit, de quo nunc disseramus. De Johanne Alexandrino legendi imprimis sunt tractatus hi:

H. Conring l. c. p. 86 sq. Heeker, l. c. 168 sq.

Steinschneider, Al-Farabi p. 163 sqq.

Val. Rose, Herm. t. V p. 205 sqq.

Leclerc l. l. t. I p. 38 sqq. Bloch l. c. 556 sq.

Ut Palladius ita Johannes quoque sophista appellatur; extat ante commentarium sexti Epidemiarum libri superscriptio haec:[2]) 'incipiunt epidemiae divi hippo. et commentaria Johannis Alexandrini solius medici et sophiste super epidemias easdem'; item subscribitur:[3]) 'explicunt commenta epidemie hippo. a voce Johannis Alexandrini magni medici et sophiste.' Medicum autem ipse se verbis 'nos medici', 'nostra ars' identidem profitetur. De vita huius quoque iatrosophistae nihil fere scimus; eum Alexandriae docuisse cognomen Alexandrinus et medici Arabum et commentarii in sextum Epidemiarum loci docent, velut hic:[4]) 'exinde in Alexandria 24. die supervenit nocte a sereno aëre ventus et inquisivimus, unde hoc factum est.'

Denique Johannem fidem Christianam professum esse et Ibn Botlan docet[5]) et Valentinus Rose ex nonnullis locis commentarii intellexit.[6])

1) Handschriften der antiken Ärzte I. Hippocrates und Galen, hrsg. von Diels (Abhandlg. d. Kgl. Preuss. Akad. d. Wissenschaften 1905, Philos.-hist. Cl. III).

2) cf. Articell. Hipp. fol. 120 r.

3) fol. 152 v.

4) VI 24 (fol. 143 v). cf. IV 6 (fol. 135 r), VII 33 (148 r).

5) Steinschneider, Al-Farabi p. 166.

6) Artic. fol. 138 r (V 22). fol. 138 v (V 23).

Terminum, post quem Johannes fuit, iam supra enucleavimus, terminum autem, ante quem scripsit, haud facile inveneris. Arabes eum aequalem Palladii faciunt, sed ratio commentandi et genus dicendi maxime Davidis nos commonefaciunt, itaque non post septimum p. Chr. n. saeculum eum floruisse puto.

Accedit, quod Alexandria anno fere 642 ab Amro capta est. Quamquam enim etiam post id tempus iuvenes, ut litteras discerent, Alexandriam migraverunt, tamen medicorum schola in manus Arabum venit, neque Graecum professorem multo post ibi docuisse verisimile est, quapropter nostrum commentarium intra annos 600—650 scriptum esse puto.

Confutanda est mihi hoc loco Iwani de Mueller sententia, qui Johannem iatrosophistam vixisse, cum Amrus Alexandriam ceperit, aliorum virorum doctorum locis perperam intellectis certum esse opinatur.[1]) Iam supra illam Abulpharagii narrationem fictam esse a Butlero demonstratum esse dixi. Incendium bibliothecae et colloquium Johannis Philoponi cum Amro ficta sunt; quod Johannis medici scripta Arabes Philopono vindicaverunt, quia Philoponus multo clarior fuit quam iatrosophista, ex ea re concludere non licet etiam illud colloquium a Johanne medico cum Amro habitum esse, nam tota illa Abulpharagii fabula non convenit nisi in Philoponum.

Omnium operum, quae Johannes iatrosophista confecit satis multa, perpauca servata sunt neque ea integra. Graece editus est unus commentarius mutilatus, dico Hippocratis *Περὶ παιδίου φύσεως* libri scholia, quae in uno codice (Laurent. plut. 59, 14 chart. s. XV) inventa Dietzius in lucem emisit.[2]) Commentarius Epidemiarum libri sexti nobis diligentius tractandus Graece usque ad hunc diem desideratur, sed in Latinum versus in illa collectione scripta

1) cf. Butler l. l. p. 424. Iwan v. Mueller, Über Galens Werk vom wissenschaftlichen Beweis p. 405 (Abhandl. d. Bayerisch. Akademie I. Cl. XX. Bd. II. Abteilg. 1897).

2) Dietz l. c. II p. 205 sqq.

mediea Latine versa eontinente,[1]) quae Artieella Hippocratis voeatur, extat. Primo autem noster commentarius in Artieella non fuit, Franciscus Valentinus demum, qui anno 1483 eam typis exprimendam curavit[2]), iatrosophistae, cum Galeni careret[3]), commentarium recepit; quae versio a sana Latinitate adeo abhorret, ut permultis locis vix sensum sanum elieere possimus; saepius is qui vertit, ea, quae vertit, ipse non perspexit, qua de eausa verba omni sensu cassa haud raro invenimus; nescimus vero, quando et a quo commentarius versus sit. Si coniecturae locus datur, non ante saeculum decimum tertium versionem faetam esse puto, eum iam voees Arabieae velut nueha et raseha, quibus ea aetate pro Latinis viri doeti utebantur, oeeurrant. Tertius denique Johannis Alexandrini is quoque Latine versus diem tulit eommentarius in Hippocratis librum *Περὶ αἱρέσεων τοῖς εἰσαγομένοις*, qui extat in editione operum Galeni Papiensi[4]) anno 1515 impressa.

Praeter ea scripta, quae iam in lueem prodierunt, nonnullos ineditos libros eodiees praebent.

Fabrieius enim *Περὶ πυρετῶν Ἰωάννου Φιλοπόνου ἰατροσοφιστοῦ* libellum in codiee Mosquensi (synod. CCLXX)[5]) et in Italiae bibliotheeis De pulsibus librum Philoponi extare annotat; idem alio loeo[6]) Johannis iatrosophistae de morbis eorumque eurationibus librum eapitibus 252 distinetum Gracee in Bibl. Regia Paris. esse doeet.[7])

1) Articella Hippocratis non ante saeculum decimum tertium confecta est. cf. fol. 150 v.: iussu ac mandato illustrissimi viri Manfredi serenissimi regis Sicilie.

2) cf. fol. 211 r.

3) fol. 119 v.

4) cf. Ackermann apud Kuehn. t. I p. LXVIII; hunc Johannis librum assequi frustra conatus sum.

5) Fabricius Bibl. Gr. ed. Harl. t. X p. 652, cf. Diels, Die Handschriften der antiken Ärzte II 50 (Philos.-hist. Abhandl. d. Preuss. Akad. d. Wissenschaft. 1906 Nr. 1)

6) Fabricius, Elenchus Medicorum vet. in Bibl. Gr. t. XIII p. 259 (ed. primae).

7) in cod. Parisin. 2316 s. XV. cf. Diels, Hss. d. antiken Ärzte II p. 54.

Praeterea Steinschneider Johannis Grammatici commentarium in Galeni librum *Περὶ τῶν σφυγμῶν τοῖς εἰσαγομένοις* Arabice versum servatum esse testatur.[1])

Sed ne offendas, quod opera medica Philoponi sive Johannis Grammatici sub nomine tradita Johanni medico Alexandrino vindico, liceat mihi nonnulla de ratione, quae inter Johannem iatrosophistam et Philoponum intercedit, dicere. Saeculo sexto enim, ut iam supra commemoravi, Alexandriae intra annos fere 500—550 fuit Johannes quidam episcopus clarissimus sectae illius, quae Jacobitae vocabantur. Huic viro doctissimo multum de rebus divinis disputanti duo cognomina fuerunt: Grammaticus et Philoponus (i. e. *φιλόπονος*), toto fere orbe terrarum nota; etiam apud Arabes Johannes Grammaticus summa auctoritate utebatur, quem cognomine 'Grammaticus' in linguam ipsorum verso: 'Jahja en Nahwi' vocabant, neque Johannes ullus ab Arabibus citatur nisi Jahja en Nahwi i. e. Johannes Grammaticus sive Philoponus, quem illas duas collectiones Alexandrinas duodecim scriptorum Hippocratis et sedecim operum Galeni commentatum esse Ibn Abi Oseibia narrat.[2]) Rases quoque semel atque iterum Johannem Grammaticum memorat eiusque ex operibus medicis locos affert; atque primum quidem de hydrope agens Rases eum citat (f. 176 v.): Dico prout dixit Johannes Grammaticus in expositione sua De libro pulsus parvi[3]) 'quod hydropisis tympanitis erit eo quod kilus procedens ad epar dissolvitur semper ad ventositates hoc accidente ex vehementi caliditate.' Paulo post Rases eiusdem Johannis commentarii locum exhibet (f. 180 r.): et similiter dixit Johannes grammaticus in expositione pulsus parvi: 'inveni laborantes ipsa querentes ructationem eum vehementer quietem ipsorum sit: etiam inveni ipsam esse cum urina ruffa semper: sed extimat patiens

1) Virchows Arch. t. 124 p. 280.

2) cf. Steinschneider. Al-Farabi 165.

3) h. e. Galeni liber *π. τ. σφυγμῶν τοῖς εἰσαγομένοις* ad Teuthram missus. VIII 453 sq. K.

quod magis comedat quod in aselite tamen in eis accidit concavitas flancorum et ventres semper ipsorum sunt sicci nec laxativa eos laxant abundanter et moriuntur velociter cum pulsu magno, hoc quoque non accidit solum modo ex virtute sed ex instantia et necessitate sicut ex pulsu alicuius repleti de cibariis quando de eis aggravatur.' Tunc eodem ex commentario Rases f. 427 v. locum affert: 'Inquit Johannes grammaticus in commento pulsuum: si in aliquo morbo subito venienti pulsus fuerit plenus sicut in sincopi et similis spes est quod revertatur ad magnitudinem et quando est in morbo chronico: aut gradatim fit parvus propter dielongitudinem non revertitur. Et pulsus in sua malitia equalis est malignior: quia pulsus habens in se aliquos motus fortes est melior illo qui est equalis in debilitate et diversitas pulsus est, cum virtus est in pugna . . . . Et dixit pulsus ordinatus minus erit diversus.'

Johannes Alexandrinus etiam Galeni *Περὶ σφυγμῶν πραγματείαν* interpretatus esse videtur, Rases enim commemorat commentarium quendam 'megapulsus'[1]): 'Dixit Johannes Grammaticus in commento megapulsus de elleboro id quod dixit ypo' (i. e. Hippocrates); nam Arabes *Περὶ τῶν σφυγμῶν τοῖς εἰσαγομένοις* librum pulsum parvum, *Π. τ. σφυγμῶν πραγματείαν* pulsum magnum appellaverunt. Denique ex pulsus parvi commentario Rases locum fol. 556 v. de balneo disserens exscripsit: 'Yhia grammaticus exponendo pulsum parvum dixit: balneum debet fieri post exercitium, quia humectat corpus corrigendo siccitatem secutam per exercitium et dissolvendo superfluitates pungentes quae liquefacte sunt et emendando eas.' Praeter hos commentarios Rases etiam Johannis librum ciborum memorat[2]): 'et dixit Johannes in libro ciborum ex auctoritate ypo.'

1) Al-Hawi (XXI) fol. 470 r.

2) Al-Hawi XXI 283. hic liber ex Galeni praecipue *Περὶ τροφῶν δυνάμεως* et Hippocratis *Περὶ διαίτης* et *Περὶ τροφῆς* excerptus inscriptus est: *Περὶ ῥῳώσεως καὶ πόσεως* sicut Palladii opus supra p. 41 memoratum.

Nostrum Johannem, medicum Alexandrinum, quem a Philopono differre iam Valentinus Rose intellexit,[1]) Arabes nusquam commemorant, sed eum, ut iatrosophistam Alexandrinum, encyclopaediam quoque Alexandrinam explanasse eiusque scriptorum summaria confecisse probabile est, nec minus verisimile est Arabes eius scripta sicut aliorum iatrosophistarum legisse. Cum vero nusquam eius mentionem faciant, sed Johanni Grammatico omnia scripta addicant, cuius nomen eis iam fuit notissimum, concludendum mihi videtur illi 'Jahja en Nahwi (Johanni Grammatico)' opera Johannis iatrosophistae supposita esse, qua de re iam Valentinus Rose cogitabat,[2]) ego vero omnia opera medica, quae sub Johannis Grammatici nomine circumferuntur, Johanni medico vindicare non dubito, cum verisimile non sit episcopum religionis et philosophiae studiosissimum, qui multum de rebus divinis disputavit et multa opera theologica, philosopha, grammatica confecit, etiam tot uberes libros ad medicinam pertinentes scripsisse. Accedit, quod Suidas Philoponi scripta enumerans de medicis operibus tacet:[3]) *Ἰωάννης Γραμματικὸς Ἀλεξανδρεύς, ὁ ἐπικληθεὶς Φιλόπονος· τούτου συγγράμματα πάμπολλα γραμματικά, φιλόσοφα, ἀριθμητικά, ῥητορικὰ τῆς τε θείας γραφῆς.* Etiam aliud argumentum praesto est. Johannes enim iatrosophista in Epidemiarum sexti commentario sua ipsius opera identidem citat, in quibus 'liber pulsuum' est:[4]) 'Dictum est n o b i s in libro pulsuum: quod adiacentibus multis carnibus: non est manifesta motio arteriae: non vero existentibus carnibus multis, sed gracili facto corpore manifesta fit et quasi visui apparibilis.' Nam mirum esset, si uterque Johannes forte De pulsibus librum scripsisset. Noli autem dubitare, quin iatrosophista 'dictum est nobis' verbis i. e. Graece *εἴρηται ἡμῖν* more illius et prioris aetatis scriptorum librum ab ipso scriptum esse dicit. Iam Galenus ita sua scripta

1) Herm. V 205 sqq.
2) l. l.
3) I 1027 Bernh.
4) Artic. f. 131 v (III 28).

inducit velut t. XV p. 72: *ἀλλ' ὅτι γε ψευδὴς ὁ λόγος αὐτῶν ἐπιδέδεικται μὲν ἡμῖν καθ' ἓν ὑπόμνημα περὶ τῆς τῶν καθαιρόντων φαρμάκων δυνάμεως*, vel p. 112 *λέλεκται δὲ καὶ ἡμῖν*, et similiter t. XV p. 75 *μικρὸν ἔμπροσθεν εἴρηταί μοι*, t. IX p. 444 *εἴρηται δέ μοι κατὰ τὸ πρῶτον τῆς διαγνώσεως*, t. IX p. 463 *γέγραπται μὲν οὖν καὶ Ἱπποκράτει*. Iisdem verbis Palladius[1]) et Johannes[2]) iatrosophistae utuntur: Johannes praeter librum De pulsibus hoc modo De causis[3]) opus suum citat (f. 126 v VIII 25): 'dictum est nobis in libro de causis, et adhuc oportet nos commemorare huius modi negotium. Sciendum enim est, quod in magno angulo oculi est foramen carnicula quaedam cooperit natura quae caro auffmentata (i. e. augmentata) quidem facit canthidas: deficiens autem facit fluxum.' Meam sententiam rectam esse alio eiusdem commentarii loco efficitur, quo sine ullo dubio iatrosophista se De causis librum scripsisse profitetur (f. 150 v. VIII 25): 'dicit enim inquirere et epidemicos morbos et horum modos quomodo moventur: sicut in libro de causis dicebamus: quod non solum oportet scire si officialis est egritudo: sed quomodo officialis est aut ex iuxta plasmationem iuxta positionem iuxta numerum iuxta magnitudinem vel quantitatem.' Nimirum hic De causis liber summarium Galeni *Περὶ αἰτιῶν συμπτωμάτων* libri est. Tertium quoque ipsius opus Johannes in nostro commentario citat (f. 128 v. III 2): 'dictum est nobis in regimento acutorum, quod quando volumus nutrire corpus moderata et tarda utimur motione.' Johannes hic aut commentarium Hippocratis libri *Περὶ διαίτης ὀξέων*, qui in collectione Alexandrina fuit, aut eius operis summarium in animo habet. Alia Johannis iatrosophistae scripta, quamquam permulta cum confecisse consentaneum est, eruere non potui.

---

1) Pall. II 160 D. *ταῦτα ἡμῖν προείληπται*. II 183: *εἴρηται γὰρ καὶ Γαληνῷ*. II 188.

2) Dietz II p. 227: *λέλεκται ἡμῖν*.

3) h. e. *Περὶ αἰτιῶν συμπτωμάτων*.

Praeter hos Epidemiarum libri sexti commentatores apud Rasem alium Epidemiarum interpretem inveni, cui nomen est Georgius, cuiusque Rases pauca fragmenta servavit; cum vero aetate Byzantina permultis viris doctis id nomen fuerit, haud facile discreveris, cui auctori ei commentarii addicendi sint. Georgii medici, qui ante Rasem fuerunt, duo mihi noti sunt, quorum alter aequalis Leonis medici, saeculo nono ineunte natus, nisi ei Leo iatrosophista *Σύνοψιν ἰατρικήν* opus dedicavisset, nobis ignotus esset;[1]) qua de causa hunc medicum a Rase laudatum esse verisimile non est. Alteri Georgio medico ea fragmenta vindicanda esse, cum fuerit clarissimus octavi saeculi medicus,[2]) qui multa opera medica Graeca in linguam Arabicam transtulerit, probabile mihi videtur; accedit, quod Rases Georgium hydropicis lac camelinum cum urina camelina remedium praecepisse refert, quod praeceptum medicum Arabicum redolere censeo. Georgium Galeni et aliorum interpretum commentariis usum esse verisimillimum est, neque tamen ex fragmentis demonstrari potest, quae nunc exhibeam (Ras. f. 177 v, 178 r): 'Georgius dixit: da in potu in hydropisi ascliti (i. e. ascites) de lacte camelino cum urinis ipsorum in quantitate rotul. (i. e. cotulas) II. lactis et urine ipsarum. ʒ. 1. deinde patiens vadat modicum deinde dormiat et intantum ei augeat in potu quousque ad rotul. III lactis perveniet: tamen ʒ. 1. urine detur sibi et non plus. Quid si videris quod laxaverit eum noli ei de eo dare in potu cum inconveniens sit ei tamen miscendi sunt cum eo mirabolani aut serapinum. etiam si affuerit. — . . . . Et dixit quod hydropisis accidit aut ex ieteritia accidenti ex epate aut ex febribus longis et continuis aut ex abundanti potu aquae frigidae; aut ex abundanti fastidio satietatis

1) cf. Iwan Bloch, Handb. I 559.

2) hic Georgius natione Syrus fuit, nomine genuino Dschordschis ben Dschibril ben Bachtischua. cf. Iw. Bloch l. l.; Wüstenfeld, Geschichte d. arab. Ärzte (Götting. 1840) p. 14.

nauseativae. Sed vomitus confert hydropisi carnose: et forte confert asciiti.'

(f. 178 r): 'De octavo capitulo li. VI. epidi[1]) dixit: non debet uti balneo qui aptus fuit ad hydropisim. De sexto capitulo libri II. dixit quod caseus non confert hydropico in dispositione sua sed nocet ei superabundanter cum ipse includatur in meatibus epatis et eos obturet. De libro inflationis[2]) dixit quod si per cannulam hydropicus emittit aquam velociter de ventre antequam transeant tres dies post ipsam emissionem convertitur eius repletio.'

(f. 178 v): 'Georgius dixit: si quis sumit succum yreos in potu: in falacia magna erit. . . . . De sexto capitulo libri II. de epidi.[3]) dixit quod cepe et alia sumpta in cibo tempore congruo aliquando multum conferunt hydropicis. Sed caseus magnum nocumentum infert eis, cum magis perfecte inferat apilationes quam aliud.'

(IX. fol. 224 v): 'Georgius dixit: cadet secundina statim si sumuntur cum elleboro. . . . . De III. ca. de expositione epidimie[4]) dixit si difficilis fuerit partus super mulierem antequam videat de sanguine accident exinde morbi et apostemata etiam diversa.'

(XIII. f. 316 v): 'Georgius dixit:[5]) epidime magis accidunt in iunio in asselis videlicet in inguinibus et similibus locis tamen aperiuntur et emittitur de eis sanguis niger cum putredine sanguinica unde si fuerint rubee maior pars laborantium ipsis salvabitur. tamen si citrine conditio erit mortifera. etiam si virides et nigre nemo salvabitur de eis omnino, sed fiunt ex superabundantia

1) i. e. in commentario Epidemiarum libri sexti sectionis octavae; nescio, ad quod lemma haec annotatio pertineat.

2) Haec Georgius ad Hippocratis *Περὶ φυσῶν* 11 annotavit, ubi flatus hydropem efficere legimus.

3) haec Georgii annotatio ad Epidemiarum libri secundi sectionis sextae praeceptum 28. pertinet. Littré V 138.

4) in commentario Epidemiarum libri sexti sectionis tertiae.

5) hunc quoque locum Rasem ex Georgii commentario Epidemiarum attulisse probabile est.

sanguinis et corruptione eius.' Georgium igitur Epidemiarum librum secundum et sextum explicasse pro certo est.

Iam adhuc progresso liceat mihi paulisper a proposito meo abire, ut rem quandam tractem, quae a nostra materie abhorrere videtur, sed non ita aliena est. Hippocratis libri enim *Παραγγελίαι*[1]) inscripti Darembergius scholion in codice Urbinate 68 invenit,[2]) nihil nisi initium Praeceptorum commentarii continui, quod Galeni nomen prae se fert: *Ἐκ τῶν Γαληνοῦ*. Quod scholion, quamquam Littreus, Darembergius, Fuchsius, Ilbergius genuinum esse putant, tamen mihi persuasum est non modo non a Pergameno, sed ne eius aetate quidem, immo nonnullis demum saeculis post, fortasse sexto vel septimo Praeceptorum commentarium scriptum esse. Nam a Pergameni genere scribendi polito plane abhorret atque posterioris aetatis indicia prae se fert. Praecipue haec me offendunt: P. 201 legimus: *τοῦ γὰρ χάριν καὶ ἐν προοιμίοις οὕτω φιλοσοφεῖ; ἵν' ἑαυτὸν καὶ τὸ τῆς ἰατρικῆς ἐπιστημονικὸν ἐπιδείξηται* . . . . interrogando et respondendo, id est per *ἀπορίαν* et *λύσιν*, scriptor sententiam suam profert, quam rationem alienam a Galeno apud Palladium et Johannem eorumque aequales invenimus; sicut apud iatrosophistas eaedem sententiae, eadem verba iterantur, iam eam rationem secundum schema quoddam commentandi habemus; p. 200: *Δεῖ οὖν τὸν τὴν ἰατρικὴν μετερχόμενον . . . μὴ προσέχειν μόνῳ τῷ πιθανῷ ἤτοι ἀποδεικτικῷ καὶ θεωρητικῷ νοῦν, ἀλλὰ καὶ τῇ μετὰ λόγου πείρᾳ* . . . . p. 201: *ὅ γε μὴν Ἱπποκράτης, ὅπως δεῖ μετέρχεσθαι τὴν ἰατρικὴν ἐνταῦθα διδάξαι θέλων* . . . . *ἀλλὰ τῇ πείρᾳ.* — p. 202: *Διὸ δεῖ τὸν ἰατρὸν ταῦτα καταμαθόντα μὴ τῷ ἰδίῳ στοχασμῷ ἰατρεύειν ἀλλὰ τῇ μετὰ λόγου πείρᾳ . . . διὸ δεῖ . . . ἐντελῆ ἐν . . . τῷ τε θεωρητικῷ καὶ πρακτικῷ πρότερον γεγονέναι, εἶτα πρὸς τὸ ἰατρεύειν ὁρμᾶν.*

Denique mirum esset, si Galenus suum in Aphoris-

1) Littré IX 247 sqq. Ermerins III p. XC.

2) cf. Daremberg, Notices et Extraits des Manuscrits Médicaux I, Paris 1853 p. 198—203. Fuchs, Handbuch I p. 303.

mos commentarium hic non commemoravisset, nam qui Galenum novit, eum libenter occasione data scripta sua citare haud ignorat, praesertim cum hic locus Aphorismorum initio tam similis sit, ut etiam scholiastam non praeterierit. Itaque Pergamenum aut hic Aphorismorum commentarium aut illic Praeceptorum memoraturum fuisse consentaneum est. Sed inducamus denique argumentum validissimum. Incipit medicus: *Ὅσα μὲν εἴωθε προλέγεσθαι ἐπὶ παντὸς συγγράμματος, καὶ νῦν εἴρηται. ἐξηγητέον δὲ κἀνταῦθα λοιπὸν τὸ χωρίον αὐτό. ὁ μὲν οὖν Χρύσιππος καὶ οἱ περὶ τοὺς στωϊκούς.*[1]) . . . . Verba *Ὅσα μὲν εἴωθε προλέγεσθαι ἐπὶ παντὸς συγγράμματος, καὶ νῦν εἴρηται*, quae Pergamenus nulli commentario praemisit, apud saeculi sexti et insequentium interpretes vulgo initio commentariorum posita ad prooemium illud sex vel septem vel octo capitum spectant; simulatque illius aetatis commentarium inspexeris, haec vel similia verba in fine vel initio prooemii leges, velut apud Stephanum Philosophum[2]) in commentario Prognostici: *Τὰ εἰωθότα ἐπὶ ἑκάστου συγγράμματος προλέγεσθαι ὀκτὼ κεφάλαια καὶ νῦν προλάβωμεν.* Vel apud Palladium in commentario libri Hippocratis De fracturis inscripti:[3]) *Τὰ εἰωθότα προλέγεσθαι ὀκτὼ κεφάλαια παντὸς βιβλίου, δεῖ ἡμᾶς κἀνταῦθα πρὶν ἀρξόμεθα.* Similiter dicit Johannes Alexandrinus[4]) prooemio octo capitum rite praemisso: 'haec enim VIII (sc. capita) consuevere dici in principio libri . . . Postquam terminavimus, quae necessaria sunt.'[5]) Item iam Ammonius[5]) praefatur: *Ἀρχὴ τοίνυν ἡμῖν γενέσθω τῆς ἐξηγήσεως ἡ τῶν κεφαλαίων ὑφήγησις τῶν προλαμβάνεσθαι τῆς τοῦ ῥητοῦ σαφηνείας εἰωθότων.* Non aliter eius discipulus Johannes Philoponus[6]) in-

1) Johannes ab Arnim Stoicorum veterum fragmenta colligens hoc testimonium neglexit.

2) Dietz t. I p. 51.

3) Hippocrat. ed. Foës. p. 196.

4) Articell. Hipp. f. 120 r.

5) cf. Commentar. in Aristot. IV, 5 p. 1.

6) Comment. in Aristot. III, 1 p. 7. cf. XIII 2, 1.

terpretari insistit: *Πασῶν δὲ τῶν Ἀριστοτέλους πραγματειῶν τὰ προλέγεσθαι ὀφείλοντα ἕξ ἐστιν.* Vel David:[1]) *Μέλλοντος σὺν θεῷ ἄρχεσθαι τοῦ παρόντος συγγράμματος τὰ εἰωθότα ὑπὸ τῶν ἐξηγητῶν ζητεῖσθαι κεφάλαια, ὀκτὼ τὸν ἀριθμὸν ὄντα.*[2])

Sed ne longius a proposito abeam, liquido apparet hunc commentarium non Galeno, sed iatrosophistae cuidam, fortasse sexti vel septimi p. Chr. n. saeculi deberi; utrum Pergamenus quoque Praecepta explicaverit necne, in dubio manet, cum ipse neque Praecepta usquam neque eorum commentarium commemoret.

Fortasse autem dixerit quispiam iatrosophistam Praecepta interpretatum se Galeni ex commentario nonnulla sumpsisse verbis *ἐκ τῶν Γαληνοῦ* in margine ascriptis confessum esse, praesertim cum Chrysippus et Stoici commemorentur, neque verisimile sit, iatrosophistam de suo id attulisse. Ei respondendum est, iatrosophistas nimirum Galeni omnibus commentariis ad explicandum usos nullo loco se ex Galeni commentariis simili modo atque hic legimus exscripsisse profiteri. Mea quidem sententia ea verba nemo nisi librarius apposuit, qui scholion in codicem Urbinatem transscripsit, sive ille commentarius iam Galeni nomen tulit, sive librarius ipse Galeno scholion supposuit, nam satis multi commentarii et scripta spuria, ut auctoritas eorum augeretur, Pergameno addicta sunt, sicut noster Palladii commentarius in cod. Urbin. 64 sub Galeni nomine legitur. Nunc ad propositum redeamus.

1) Comment. in Aristot. XVIII, 2 p. 80.

2) Huiusmodi praefationem etiam in Oribasii personati Aphorismorum commentario invenimus (Oribasii commentaria in Aphorismos Hippocratis ed. Joh. Guinterius Andernacus, Basil. 1535) p. 6 sq. recte igitur Hermannus Schoene iudicavit hunc commentarium a quodam aetatis Byzantinae medico scriptum esse.

II.

Postquam Epidemiarum libri sexti commentatorum de vita et operibus egimus, nunc tres commentarios servatos tractemus et, quae inter eos intercedant rationes, ostendamus.

1. Pergamenum Epidemiarum librum sextum octo libris commentariorum explanasse et ipse[1]) et Johannes iatrosophista et Rases testantur; finis autem sexti et septimus et octavus commentarius perierunt.

Pergameni commentarius Epidemiarum libri sexti, Graece in uno codice legitur, Kuehnio ceterisque Galeni editoribus ignoto, in Marciano 283 s. XV f. 1. Hunc viros doctos bybliothecas nuper perserutatos invenisse Johannes Mewaldt, quem Hermanno Schoene suadente adii, mihi benigne scripsit.[2]) Contextum Graecum[3]) editores ex Aldina[4]) susceperunt, quem ex cod. Marciano 283 manasse verisimile est, qui eadem post verba sectionis sextae: *ποδάγρας τε καὶ ἀρθρίτιδας* deficit. Saeculo decimo sexto aliquem codicem integrum fuisse viri docti credunt, cum illo tempore Jo. Baptista Rasarius, medicus Novariensis, qui multa Galeni opera Latine vertit, se novum codicem, qui Galeni contextum usque ad finem libri sexti praeberet, invenisse gloriatus, omnes commentarios libri sexti Latine versos edidit,[5]) omnesque viri docti in hac materie versati partis deperditae versionem genuinam esse opinati,[6]) pro contextu Graeco in editionem Galeni ut recipiatur, postulant. Commentario Galeni, quousque Graece extat, ad ver-

1) XIX 36. cf. Joh. Artic. f. 120 r: noster autem Galienus in VIII particulas divisit hunc tractatum.

2) cf. Diels l. l. p. 104.

3) Galen. XVII A p. 793 — XVII B 344 Kuehn.

4) t. V f. 211—244. cf. Ackermann, Historia litteraria Claudii Galeni ed. Kuehn. t. I p. CLXXX.

5) Galeni in Hippocratis de vulgaribus morbis librum sextum, Jo. Baptista Rasario interprete, Venetiis 1562.

6) cf. Ackermann l. l. I p. CLXXX. Valent. Rose l. l. p. 208. Joh. Ilberg, Commentation. Ribbeck. (Lips. 1888) p. 343. Idem, Mus. Rhen. t. 44 p. 236 sq. Robert Fuchs l. l. p. 383.

bum Rasarii versio Latina respondet, eaedem corruptelae, eaedem lacunae obviam sunt, quapropter Rasarium eodem codice usum esse puto, quem nos habemus, codex integer autem, nobis non modo non servatus est, sed ne accepimus quidem de eo quicquam; accedit, quod comparantem Rasarii ex novo codice descriptum Galeni commentarium cum scholiis Palladii mirum quendam continuum consensum intercedere non praeterit. Qua de causa aut Palladium Galeni commentarium ad verbum descripsisse aut Rasarium in Galeni commentario conficiendo Palladii scholiis usum Galeni codicem novum simulasse manifestum est; mihi autem, ut iam hic dicam quid sentiam, Rasarium fraudem suscepisse persuasum est. Nam utroque commentario perlustrato nullo loco Palladium, quamquam Galenum semper in promptu habuit et saepius citavit, ex eius commentario verbotenus exscripsisse invenies; immo vero Palladius ut medicinae doctor lectis multis medicorum scriptis suo iudicio utitur, multas Galeni sententias improbat multasque res de suo affert.[1])

Si autem Rasarii versionem eius Galeni commentarii partis, quae in codicibus desideratur, cum Palladii scholiis contulimus, obstupefacti nescimus, quid dicamus, eum ad verbum eius versio perpaucis locis exceptis huic commentario Palladii respondeat, velut iam initio:[2]) *οὗτος ὁ λόγος ἀληθὴς, ἡ γὰρ θερμότης καὶ τὴν δριμύτητα ποιεῖ, καὶ ἔστι σημεῖον αὐτῆς. λοιπὸν αὕτη ἡ δριμύτης ἡ οὖσα τῷ σώματι ἢ ἐν μορίῳ ἔχοντι φυσικοὺς ὑπονόμους, καὶ ἐν τῇ διεξόδῳ περιέχει τὴν αἴσθησιν καὶ τοῦτό ἐστιν αἱ δίοδοι, ἢ ἐνδομυχοῦσα καὶ ἔσω μένουσα θλίβει καὶ διαβιβρώσκει καὶ ὄχλον παρέχει.* Rasarii versio ad verbum expressa: 'vera haec oratio siquidem caliditas acrimoniam parit estque eius signum, ceterum si acrimonia, quae in corpore, aut particula naturalem suum statum servet, inesse comperiatur, dum funditur, sensum sui excitat, idque est, quod ait transitus

1) de hac re infra uberius agam.

2) Hipp. V 326 L. Pall. 166 sq. Rasar. in Hippocrat. de vulg. morb. libr. VI. comm. VI 10.

eadem eum interna ac plenitiora loca petit, intusque manet, turbationem affert.'

Quotcumque explicationes comparaveris, semper alteram eum altera ad verbum fere consentire videbis, quare aut ambos Galeni commentarium transscripsisse, aut Rasarium Palladii scholia vertisse novo Galeni codice simulato efficitur. Quid equidem censeam, non ignoras, neque te meam sententiam improbasse puto, nisi forte Palladium miro quodam casu eodem ab loco, quo codex Galeni deficiat, ratione commentandi plane mutata, quae Galenus scripserit, ad verbum transscribere coepisse contendas, quod ut absurdum est, ita Rasarium, cum reliquam Galeni commentarii partem deesse doleret, inventa Palladii in eundem Hippocratis librum scholia, usque ad id tempus ignotum Galeni codicem se primum in lucem emisisse gloriatum supposuisse verisimile est. Sed cum complures viri doctissimi Rasario fidem habuerint, alias causas afferam. Palladii ratio commentandi minime mutatur; eadem fere dicta, eadem elocutio obvia sunt, quorum ut exemplum afferam, haec commemoro: incunte lemmatis explicatione persaepe Palladii iudicium legimus, quod apud Galenum nusquam occurrit velut: *οὗτος ὁ λόγος ἀληθής* sive *σαφής* pgg. 93. 94. 99. 144. 146. 150. 166. 167. 169. vel *οὗτος ὁ λόγος ἀσαφής* pgg. 142. 145. vel *θαυμαστὸς ὁ λόγος* pgg. 108. 118. 132. 169. 173. 189. vel *οὗτος ὁ λόγος θεραπευτικός* 121. 122. 134. 137. 194. *οὗτος ὁ λόγος ἀπέσχισται* p. 11 *συγγενὴς ὁ λόγος οὗτος τῷ ἄνω* 115. 119. vel *προσεχὴς οὗτος ὁ λόγος τῷ ἀνωτέρῳ* pgg. 167. 190. *οὗτος ὁ λόγος ψευδής* p. 143. Praeterea notandum est, Palladium discipulos medicinae studiosos, ut ipsi sine auxilio quasdam res exquirant, imperativis *ζήτει* vel *ζήτησον* usum monere: pgg. 21. 22. 161. 162. 165. 166. 170. 174. 175. 191. etc., quos apud Galenum non invenies. Accedit quod Palladius identidem Galeni sententiae mentionem facit eiusque verba affert.[1]) Quid? si Palladius eius librum ad

1) pgg. 180. 183. 188. 189. 191.

verbum totum transscripsisset, num identidem Galeni sententiam ad illustrandam suam induxisset? Iam in ea parte commentarii, quacum Galeni contextum comparare possumus, Galeni nomen semel atque iterum obvium est eiusque sententiam veram esse insequenti particula γάρ confirmatur vel improbatur.[1]) Eandem igitur Palladii rationem commentandi in parte a Rasario versa atque antea esse concludendum est.

Quamquam Rasarium pro Galeni commentarii parte deperdita Palladii scholia supposuisse iam luce clarius est, tamen ratiocinationi meae argumenta adicere liceat haec: In libro manu scripto Rasarii lemmata complura aliter leguntur atque in Hippocratis editionibus, quae lectiones diversae cum scripturis apud Palladium extantibus congruunt.[2]) Praeterea Galenus lemmata aliter distinguit ac Palladius, ita ut in omni sectione numerus eorum a Palladii valde differat; en habes descriptionem:

In sectione prima	Galenus exhibet	lemmata 31,	Pall. 19.
in sect. altera	Galen. 50,	„	43.
„ „ tertia	„ 44,	„	28.
„ „ quarta	„ 31,	„	28.
„ „ quinta	„ 37,	„	31.

In parte suppositicia autem Rasarius cum Palladio congruit, respondentibus inter se lemmatibus:

Pall. p. 166 VI	$\bar{\vartheta}$	=	Ras. VI	9.
„ p. 176 VI	$\bar{\kappa}\bar{\zeta}$	=	„ VI	27.
„ p. 177 VII	$\bar{\alpha}$	=	„ VII	1.
„ p. 198 VII	$\bar{\kappa}$	=	„ VII	20.

Johannes Alexandrinus denique nonnullos locos commentarii deperditae partis Pergameni memorat eiusque senten-

1) pgg. 28. 95. 99. 109. 121. 144. 157. 163. 180. 188. 189. 191.
2) cf. Ras. VI 13 = Pall. p. 167 $\bar{\iota\gamma}$.
„ VI 17 = „ p. 169 $\iota\bar{\zeta}$.
„ VI 18 = „ p. 170 $\iota\bar{\eta}$.

tias affert,[1]) quae in Rasarii versione non inveniuntur, ut exempla afferam, Johannes VIII 46[2]) scribit: 'historiacus est et hic sermo sicut dicit Galienus non enim ex hoc potes accipere praecognitionem . . . . historisatur enim epar quattuor habens, et nescimus, quae sima duplicata est et dicit Galienus quoniam de dextra parte dicit, debemus enim intelligere simitatem in dextra parte epatis.' Rasarii interpretatio: 'Hoc vel casu, vel ictu, vel ex lucta, vel alia externa causa, potuit contingere. concussio autem fecit, ut suum in locum fibra rediret. quare non mirabile est, dolorem esse eo pacto sublatum.'

Nunc conferas quaeso locum Johannis fol. 151 v. extantem:[3]) 'Galienus autem quod iste sermo continuus est superiori . . . sicut autem Galienus dicit subaridum' cum Rasarii VIII 23; Johannis VIII 27 cum Rasarii VIII 21; Johannis VIII 17 cum Rasarii VIII 14, quibus omnibus nihil, quae Johannes affert in Rasarii versione inveniri potest, neque dubium est, quin Rasarius scholia Palladii supposuerit; cum vero Palladius compluribus locis Galenum laudet, Rasarius omnibus iis locis, ubi Galeni mentio fit, quasi ipse Galenus esset, locutus viros doctos callidissime fefellit, nos autem ad singulos locos aggressi, quomodo res revera se habeat, disseramus. Sub finem p. 180 apud Palladium scriptum videmus: *καὶ ἔμεινε τὸ διάλειμμα ἄχρι τεσσαράκοντα ἡμέρας*[4]) *κακοηθέστερον ὑπέστρεφεν. εἶπε γὰρ ὁ Γαληνὸς, ὅτι πολλάκις εἰσβάλλει νοσήματα καὶ ταῦτα οὐ πάνυ ἐν τῇ ἀρχῇ κακοηθεύεται.* Ras.: 'fuitque spatium illud interiectum, in quo deterius affecti ex recidiva sunt, ad dies usque quadraginta *[5]) saepe enim morbi invadere

1) Joh. VI 9. VI 12. VI 24, 5 (f. 143 r). VII 1, 14 (f. 144 v). VII 2 (145 r). VII 3. VII 9. VII 16. VII 21. VIII 17. VIII 31, 2 (f. 150 v), VIII 34. 35. 38. VIII 44, 2 (f. 151 v). VIII 46.

2) fol. 152 r = Ras. VIII 37.

3) Joh. VIII 44 = Ras. VIII 36.

4) hic locus integer non est, verba *μετὰ δὲ τεσσαράκοντα ἡμέρας.* quae in F leguntur, excidisse verisimile est: *ἄχρι τεσσαράκοντα ἡμέρας, μετὰ δὲ τὰς τ ἡμέρας κ. ὑ.*

5) Rasarius quoque hic lacunam significavit.

mortales solent, qui in principio non admodum maligni sunt.'

Palladium igitur in septimae sectionis lemmate primo explicando Galeni ad illustrandum Hippocratis dictum quaedam verba inducere videmus, ex quo Palladium nihil nisi verba citata transscripsisse, quae autem antecedant, propria eius esse consentaneum est.

Rasarius autem, cum se Galeni commentarium vertisse simulet, callidissime verba: *εἶπε γὰρ ὁ Γαληνός* omisit. Eandem fere Rasarii fraudem p. 458[1]) deprehendimus: Pall. p. 183: *τὸ οὖν πρότερον κινηθὲν εἵλκε τὴν ὕλην. εἵρηται γὰρ καὶ Γαληνῷ, ὅτι ἕλκεται ἡ ὕλη ἢ διὰ θερμασίαν ἢ διὰ ἀσθένειαν ἢ διὰ ὀδυνήν.* Ras. VII 1: 'quod autem prius erat commotum, id materiam attraxit; trahitur autem materia aut propter calorem aut propter imbecillitatem aut propter dolorem.'

Ea, quae dixi, ad p. 188 quoque pertinent, ubi Rasarius[2]) pro *ὁ δὲ Γαληνὸς συνάπτει αὐτὸν τῷ ἄνω λόγῳ*, 'ego vero hunc sermonem cum superiore coniunctum esse puto' scripsit. Plus autem momenti lemma p. 189 a Palladio tractatum habet; iatrosophista enim media in pagina: *ὁ δὲ Γαληνὸς κατ' ἄλλον ἔλαβε τὸ συστρέφειν . . .* narrat, Galenus igitur *τὴν συστροφήν* ad sanguinem ex naribus profluentem sedandum pertinere putat; quod autem Palladius antea de '*συστοφή*' dixit, nonne a Pergameni commentario alienum est?

Rasarium autem hunc Palladii locum mutavisse non iam miramur,[3]) in versione pro verbis *ὁ δὲ Γαληνὸς κατ' ἄλλον ἔλαβε τὸ συστρέφειν* legimus: 'vel quod ait de circumvolutione, ita erit accipiendum.' Restant duo loci, quibus Palladius Galeni mentionem facit, quorum alter p. 191 extat, ubi Palladius Galenum verba *καὶ οἱ πνευματίαι* spuria habuisse narrat (Pall. p. 191): *νῦν οὖν ὁ λόγος, ἰδρὼς οὐ γίνεται ἀλλὰ συμπεπτωκὸς καὶ κατεξηρασμένον*

1) Ras. VII 1. cf. Pall. p. 183.
2) Ras. VII 2.
3) Ras. VII 3.

φανεῖταί σοι τὸ δέρμα. καὶ οἱ πνευματίαι. τοῦτον τὸν λόγον ἐξέβαλεν ὁ Γαληνὸς· τίνας γὰρ καλεῖ ὁ Ἱπποκράτης πνευματίας; Ras. VII 3: 'verum haec vult sententia, sudores nulli erant, sed cutis concidisse, exaruisseque videbatur, et spiritus pleni moriebantur. Nam quos spiritu plenos hic nominet non sat scio haneque ego orationem interiectam ab aliquo'....

Perlecta diligenter versione Rasarium non Galeni commentarium vertisse ex hoc quoque loco perspicimus; nam verba Rasarii 'et spiritus pleni moriebantur', a verbis insequentibus 'nam quos spiritu plenos hic nominet, non sat scio', male excipiuntur, quapropter, si Galeni contextum Rasarius vertisset, lacuna apud Galenum esset statuenda, nos autem verba Palladii *τοῦτον τὸν λόγον ἐξέβαλεν ὁ Γαληνός* a Rasario omissa esse scimus. Similiter denique a Rasario depravata sunt haec Palladii verba[1]) (Pall. 166): *τοῦτον τὸν λόγον τελείως ἐξέβαλεν ὁ Γαληνός· τί γὰρ εἶπε*[2]) *περὶ τῶν ὀρνίθων, ὅτι χολώδεες; καὶ τινές φασιν ὅτι ναί. χολώδεες γάρ εἰσιν, ὡς δηλοῖ τὸ κοῦφον καὶ μετέωρον αὐτῶν.* Ras. VI 9: 'quare haec sententia vel Hippocratis non est, ut ego quidem censeo, nam quid de avibus ipse unquam supra dixit? quod autem ait, quia biliosae sunt, id ipsum verum esse declarat earum levitas et quod in sublime ferantur.'

Comparantem Rasarii versionem cum Palladii scholio non praetereat Rasarium nonnulla de suo addidisse, quae in Palladii contextu non leguntur; medicus Novariensis enim conferentem forte versionem cum scholiis Palladii, cum haec prima explicatio suppositicia sit ex Palladii libro

1) Pall. p. 166. Ras. VI 9.

2) *εἶπω* coniunctivi formam, quam Dietzius e consensu codicum scripsit, in *εἶπε* (scil. *ὁ Ἱπποκράτης*) correxi, (Val. Rose l. c. *εἶπε πω* coniecit) quam coniecturam collatis Palladii verbis (p. 191) *τοῦτον τὸν λόγον ἐξέβαλεν ὁ Γαληνός. τίνας γὰρ καλεῖ ὁ Ἱπποκράτης πνευματίας* probabis; ineptum enim *εἶπω* vocabulum, cum verba *χολώδεις γάρ εἰσιν, ὡς δηλοῖ τὸ κοῦφον καὶ μετέωρον αὐτῶν* insequantur.

exscripta, fallere in animo habuit Galenum imitatus perpaucis verbis adiectis.

Cum vero Rasarii commentarius in omnia sectionis septimae et octavae lemmata explanationes praebeat, Palladii autem scholiorum in fine magna pars desideretur,[1]) gaudeat quis, quod pro iatrosophistae commentarii partis deperditae saltem versionem Latinam nacti simus, sed vanum hoc gaudium est; statim enim tibi persuaserim reliquam partem versionis Rasarii spuriam a Rasario nullo contextu Graeco adhibito fictam esse deficiente eius libro manu scripto, quo loco et Sambuci liber et nostri codices deficiunt. Quae res exeutitur argumentis his: Palladii ratio commentandi plane mutatur, alia dicta, aliam elocutionem habemus, nihil eorum, quae Palladii propria esse supra p. 59 sq. dixi, reperimus. Praeterea Palladium lemmata saepe aliter distinxisse ac Galenum eorumque singulis in sectionibus numerum a Galeni valde differe iam supra demonstravi; Rasarium ut antea Galeno ita nunc (VI 9—VII 20) Palladio adstipulari non mirum est; deficiente autem commentario, extantibus tantummodo lemmatibus Palladii iterum lemmatum aliter distinctorum numerum a Palladio diversum praebet; en habes ratiocinationem:

Pall. p.	116	VI $\bar{\vartheta}$	= Pseudogal.	VI 9.
„ „	176	VI $\bar{\varkappa\zeta}$	= „	VI 27.
„ „	177	VII $\bar{\alpha}$	= „	VII 1.
„ „	198	VII $\bar{\varkappa}$	= „	VII 20.

Lemmata diverse distinguntur:

Pall. p.	198	$\overline{\varkappa\alpha}$	= „	VII 21.
„ „	199	$\overline{\varkappa\zeta}$	= „	VII 27+28.
„ „	199	$\overline{\lambda\beta}$	= „	VII 33.
„ „	199	VIII $\bar{\alpha}$	= „	VIII 1.
„ „	199	VIII $\bar{\delta}$	= „	VIII 4+5.
„ „	199	VIII $\bar{\varepsilon}+\bar{\xi}$	= „	VIII 6.
„ „	199	ζ	= „	VIII 7 et pars 8 i.

1) Dietz II p. 198.

Pall.	p. 199	$\overline{\iota\delta}+\overline{\iota\varepsilon}$	=	Pseudogal.	VIII 14.
„	„ 199	$\overline{\iota\vartheta}$	=	„	VIII 18+19.
„	„ 199	$\overline{\varkappa\alpha}+\overline{\varkappa\beta}$	=	„	VIII 21.
„	„ 199	$\overline{\varkappa\delta}+\overline{\varkappa\varepsilon}$	=	„	VIII 23.
„	„ 199	$\overline{\varkappa\eta}+\overline{\varkappa\vartheta}$	=	„	VIII 26.
„	„ 199	$\overline{\lambda\varsigma}$	=	„	VIII 33+34.

Praeterea pars spuria (VII 21—VIII 42) commentarii neglegentius confecta est, quam ut eam a Galeno scriptam esse Rasario credamus. Nihil nisi verba inutilia legimus, inanis tota explicatio non modo non Galeno sed ne medico quidem antiquo digna est. Persaepe Rasarius, ut laborem interpretandi effugeret, se iam alibi lemmata ea declaravisse, neque eo loco interpretationibus opus esse pro Pergameno simulavit.[1]) Palladium vero mutata subito ratione commentandi discipulis ad Galenum relegatis interpretationem neglexisse absurdum est, immo eum sicut Johannem Alexandrinum haec quoque lemmata accuratissime tractasse verisimile est.

Quae cum ita sint, Palladii et Johannis Alexandrini commentarii ad Hippocratis Epidemiarum librum sextum interpretandum multum valent, deficiente autem Palladii quoque commentario in sectione septima Johannis commentarius solus integer permultum momenti habet.

2. Similem fraudem atque Rasarius eius aequalis Junius Paulus Crassus, medicus Patavinus, in commentario Palladii vertendo[2]) commisit. In omnibus enim codicibus[3]) scholia Palladii in secundam totam sectionem et

1) cf. Ras. VII 21. 22. 23. 25. 27. 32. VIII 1. 3. 4. 7. 11. 12. 13. 18. 19. 30. 31. 40.

2) Breves interpretationes sexti libri de morbis popularibus Hippocratis, e voce Palladii sophistae collectae, in: Medici antiqui Graeci ed. Junius Paulus Crassus Patavin. Basil. 1581.

3) etiam in cod. Berol. Phillipps. 1525 (ol. Meerm. s. XVI f. 1), quem ipse cum Dietzii contextu contuli et in fine dissertationis meae tractabo. cf. Diels, Die Handschr. d. antik. Aerzte II p. 76 (Abh. d. Preuss. Ak., hist. ph. Cl. 1906).

in duo capita sectionis sextae Graece desiderantur[1]), cum autem Crassus in versione contextum nulla lacuna interruptum praebeat, Dietzius ex Crassi versione commentarium, Crasso codicem praestantiorem ad manus fuisse opinatus, supplevit partesque Graece deperditas in editionem recepit. Sed ut Rasarius Palladii contextum Galeno, ita Crassus Johannis Alexandrini Palladio supposuit. Iam primum apud Dietzium partes suppositicias legens lemmata modo Johannis Alexandrini distincta et dicta quaedam eius occurrentia[2]) valde miratus sum. Comparata deinde Articellae Hippocratis versione Latina commentarii Johannis cum Crassi versione, quamquam vocabula et dictiones differre, tamen eundem contextum Graecum suppositum esse vidi. Ut autem ipse iudices et quomodo duas versiones Latinas discrepare et sibi respondere videas, nunc singulas utriusque versionis partes subiciam. Initium faciant sectionis secundae lemmatis primi scholia:

Pseudopall. II 1.
Crass. l. c. p. 174.

In primum sectum explanationem perfecimus, in quo multa et miratione digna praecepta tradidit, per quae dissectricem et naturalem et divinatricem scientiam didicimus. In praesentia nobis secundum sectum exponit, quod disiuncta et obscura documenta enarrat. Verum secundum morem a nobis antea positum voces declaremus, mox et propositum dicamus. Dicit Hippocrates

Joh. II 1 fol. 123 v.

Completa est a nobis prima parti. (i. e. prima particula) in qua dedit plura et mirabilia documenta: in quibus didicimus scientiam anatomicam et naturalem et precognitivam. Nunc autem tradit nobis secundam particulam et discontinua et difficilia documenta docet. sed secundum suppositionem prius datam: dictiones explanemus: et deinde intentionem dicamus. dicit autem:

1) cf. Dietz II pgg. 39 sq. 88 sqq. 158.

2) velut: imperitus medicus . . . hippocraticus medicus. Dietz II p. 41. cf. Joh. I 8. II 3, 3. et sic telam Penelopes texere videamur Dietz II 159. cf. Joh. III 2. IV 4.

dilatare, hoc autem omnes sciunt idem esse quod ampliare. dicit etiam aretare . . .

Adaperire hoc autem omnes sciunt, quoniam amplare est. dicit autem: Coangustare . . .

Iam nemo dubitet, quin hae duae versiones uni contextui Graeco respondeant. Sed versiones diversorum diversae aetatis auctorum habemus, sive Crassus ipse codicem Graecum, qui Johannis commentarium continebat, ad manus habuit, sive ex alia versione Latina nobis ignota partes deperditas supposuit. Mea quidem sententia Crassus ipse locos suppositicios vertit, quia ratio vertendi et Latinitas mihi per totum commentarium eadem esse videntur. Codex igitur Sambuci,[1]) quo Crassus in Palladii commentario vertendo usus est, ex eodem archetypo laeunoso, in fine mutilo descriptus fuit, ex quo ceteri quoque manaverunt; fortasse codex ille Sambuci unus ex septem illis codicibus est, qui diem tulerunt. Sed ut sine ullo dubio sententiam meam sequaris, alios quoque locos conferam.

Dietz II p. 43. Crass. p. 177. Pseudopall. II, VII.

Supra dictum a nobis fuit, si recordamini, Hippocratem hoc in volumine de privatis morbis agere, atque ideo sermonem hunc non esse continuum, neque enim publicos morbos docet: quemadmodum ipsa disiuncta tractatio manifestat: verum similiter voces prius declaremus: deinde Hippocratis mentem explicemus . . .

Joh. (fol. 124r) II 3.

dictum est autem a nobis si recolitis, quod de particularibus egritudinibus determinat hip. et ideo sermo non habet continuationem: neque enim endimas egritudines docet: sicut manifestat tractatus discontinuus. Sed hic explanemus similiter dictiones, deinde dicamus intentionem hip. . . .

Etiam in sectione tertia Crassus scholia, quae apud Palladium non extant, ex Johannis commentario substituit:

1) cf. Dietz II p. 40.

Pseudopall. III 16 (Dietz p. 88) Crass. p. 216.

In quinto libro Aphorismorum haec eadem sententia traditur, quae et hoc loco propter eos, qui ad hanc artem introduci debent, iterabitur, cum quadam tamen appendice in Aphorismorum libro non scripta, quae paulo post rectene an perperam adiecta sit expendemus .... *(finis!)* Verum saepe ob temporis angustiam nos fugiet, ubi fiat rigoris initium.

Joh. III 15 (f. 130 r).

sermo iste dictus est in aphorismis particula V et hic dicetur iterum propter inducendos. habet autem et quandam additionem non dictam in aphorismis quam procedente sermone investigabimus sive bene apposita est sive non .... multotiens autem propter brevitatem temporis latet nos rigoris principium unde fiat.

Insequens quoque scholion Crassus ex Johannis commentario supposuit. In sectione denique sexta Crassus duo scholia[1]) Johannis Palladio, quamquam huius genuina servata sunt, utrumque tamen post insequens transpositum, supposuit. Verisimile enim est Crassum praeter Palladii etiam Galeni et Johannis et Hippocratis opera semper in promptu habuisse, transpositis autem scholiis a Palladio, suis locis deficientibus Crassus Hippocratis, Galeni. Johannis locis comparatis scholia apud Palladium excidisse opinatus ex Johannis commentario supposuit, occurrentia autem paulo post tamquam interpolationes omisit.[2])

1) Crass. p. 268 sq. cf. Dietz II p. 158, 163 = Joh. VI 4. — Pseudopall. VI 26 (p. 176). Crass. p. 281 = Joh. VI 25.

2) Id quod Rasarius et Crassus et multi editores et interpretes fecerunt. Praecipue Galeno multa opera supposita sunt, in quibus commentarii Galeni in Hipp. *Περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων* versio Latina — contextus enim Graecus, quem Pergamenus medicus 'πρὸς κοινὴν ἔκδοσιν' scripsit (XIX 35), periit — numeranda est (Opera Hippocratis Coi et Galeni ed. Charterius, Lutet. 1679 t. VI p. 187 sqq.); versio Latina ab Alatino secundum versionem Hebraicam, cuius archetypus Arabicus (et Graecus?) nondum repertus est (cf. Diels, Frg. d. Vorsokr.[2] p. 321 sq. II, 1 p. 706 sq.), confecta a Galeni elocutione et ra-

III.

1. Quoniam de Hippocratis Epidemiarum libri sexti commentatoribus eorumque scriptis, deinde de rationibus, quae commentariis servatis cum versionibus Latinis intercedant, disseruimus, nunc ad comparandos inter se commentarios accedamus. Legentem meam dissertationem non fugiat me semper de commentariis Palladii et Johannis Alexandrini loqui, quamquam eorum libri inscribuntur: *Σχόλια ἀπὸ φωνῆς Παλλαδίου* et 'Scholia e voce Johannis Alexandrini,' nam quod inscribitur '*ἀπὸ φωνῆς*' sive 'e voce' idem valet, ac si legeretur 'auctore';[1]) iatrosophistarum enim explanationes non aliorum scholiorum modo in margine vel inter lineas codicum extant, sed libri continui sunt, ab artis medicae doctoribus in usum discipulorum confecti; fortasse iatrosophistae ea, quae tirones docebant, primum memoriae adiuvandae causa conscribebant, deinde pro commentariis edebant, sicut Galenus commentarios suos in Hippocratem editos ex illis, quae apud discipulos enarrasset, conscriptis ortos esse ipse professus est.[2]) Itaque reicienda est Haeseri sententia, qui de Palladii commentario sic iudicavit: „Palladius Commentar zu Epid. VI besteht aus nachgeschriebenen Vorlesungen."[3])

Quae cum ita sint, Palladii et Johannis commentarii a Pergameni valde differunt, qui hunc commentarium '*πρὸς κοινὴν ἔκδοσιν*', ut a viris arte medica eruditis non sine fructu legeretur, composuerit; cum autem iatrosophistae in usum tironum scholia scribant, id praecipue

---

tione commentandi abhorret, nam lemmata perlonga brevibus commentariis Galeno indignissimis praemittuntur, qui nihil fere ad explicanda lemmata valent. Initio Pseudogalenus interpretando operam navavit, paulatim autem segnis commentator lemmata longiora, scholia breviora fecit; a p. 196 (II 13) lemmata perlonga, interpretationes perbreves et inanes fiunt, post tertii commentarii lemma secundum (p. 204) interpretari desiit; fortasse autem hic auctor Galeni commentario genuino usus est.

1) cf. Val. Rose l. l. p. 205.

2) XVIII A 576 sqq.

3) Haeser, Handbuch d. Gesch. d. Medizin t. I p. 456.

spectant, ut discipulis ea, quae ipsi ex praeclarorum medicorum, praecipue Hippocratis et Galeni, quorum auctoritas apud eos summa fuit, operibus didicerint, quam clarissime et brevissime enarrent, ut facile commentarii a tironibus intellegi possint. Utrumque iatrosophistam Galeni commentario usum esse primo aspectu manifestum fit, cum in utroque libro Galenus saepius citetur et multa ab eo sumpta sint; sed illas ob causas eorum ratio commentandi a Pergameni magnopere differt: plerumque lemmata multo brevius tractant omissis illius doctis disputationibus, interdum autem ad illustranda lemmata, ut discipuli rectius Coi aphorismos perspicerent, longiores fabulas vel historias inseruerunt a docti medici commentario alienas. Nullo loco iatrosophistae Galeni commentarium temere transscripserunt, sed suo iudicio usi, quae eis placuerunt vel quae probaverunt, elegerunt, Galenum autem more veterum scriptorum non memorant, nisi ei oblocuturi, vel cum locis dubiis et intellectu difficilibus eius auctoritatem adhibent infecta re ab iis discedere coacti. Ne autem Galeni commentarium descripsisse, sed ipsi de Hippocratis opere declarando bene meriti esse videantur, novas saepius sententias et interpretationes afferre conantur. Unde autem novas res deprompserint, nescimus, id saltem pro certo est eas non ex commentariis ante Galenum scriptis manasse, nam quis contendat eos opera Bacchii vel Zeuxidis, cuius commentaria iam Pergameni aetate obsolescere ipse annotat,[1]) vel Heraclidis Tarentini umquam vidisse! Nihil enim de eis sciunt, nusquam eos memorant; item Heraclidem Tarentinum et Lycum Macedonem silentio praetercunt. Neque de eis commentatoribus, quos citant, aliud quam quod ex Galeni commentario didicerunt, dicunt. Qua de re cum iam initio dissertationis meae egerim, ubi commentatores, qui ante Galenum floruerunt, tractavi, eorumque si iatrosophistae interpretationes receperunt annotavi, hic pauca

1) vid. p. 7.

dicam. Omnium commentatorum, qui ante Galenum fuerunt, Palladius Sabinum[1]) solum, ut clarissimum interpretem, Johannes Sabinum,[2]) Rufum,[3]) Glauciam[4]) citat. Notandum autem est, quod eisdem duobus locis uterque Sabini mentionem facit. Ut ipse videas, quomodo Galeni commentarium exscripserint, trium interpretum locos, quibus Sabinus citatur, nunc componam:

Gal. XVII B 67 sq.[5])

Οἱ δὲ περὶ τὸν Σαβῖνον οὐ 'βραχέα' γράφουσιν, ἀλλὰ 'βραχίονα,' καί φασιν ἀντισπάσεως ἕνεκεν ἐπὶ τῆς ἐκ ῥινῶν αἱμορραγίας ὀρυάναι τὴν ἀπὸ βραχίονος φλεβοτομίαν, οὐ μόνον ἰδίαν ἐξηγούμενοι γραφήν, ἀλλὰ καὶ πιθανῶς ἀξιοῦντες ἡμᾶς ἀκούειν τὸ[ν][8] 'βραχίονα ὑφέντα' λελέχθαι περὶ τῆς ἀπ' ἀγκῶνος φλεβοτομίας. ἐγὼ δὲ τὴν μὲν τοιαύτην φλεβοτομίαν ὠφελοῦσαν ἱκανῶς οἶδα τὴν ἐκ ῥινὸς αἱμορραγίαν ἀμέτρως γινομένην· ἀντισπᾷ γὰρ αὐτὴν καὶ κωλύει γί-

Pall. p. 93.

Σαβῖνος δὲ μὴ δυνηθεὶς τὸν λόγον νοῆσαι τὴν γραφὴν μετέθηκε. 'βραχίονα' γὰρ ἐποίησε καί φησιν, ὅτι περὶ ἀντισπάσεως λέγει ὁ Ἱπποκράτης, ὅτι, ἐὰν γένηται αἱμορραγία, τέμνειν ⟨δεῖ⟩[7]) ἐν τῷ βραχίονι φλέβα τὴν κατ' εὐθὺ διὰ τὴν ἀντίσπασιν.

Joh. III 18 (fol. 131 r).

